9
18 C
27

9 - 16 - c - 20

X III B 9

43 · A. A.

VITA
CAROLI BORROMEI
CARD. S. PRAXEDIS
ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI

ITEM OPVSCVLA DVO

Epiſcopus & Cardinalis

AB AVGVSTINO CARD. VERONÆ
CONSCRIPTA.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VERONÆ,
Apud Hieronymum Diſcipulum.
M D L X X X V I.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

CVM primum Veronæ nunciatum eſt Illuſtriſsimum Card. & Epiſcopum noſtrum vitam & ſanctiſſimas actiones Caroli Borromei Card. Sanctæ Praxedis piæ memoriæ Archiepiſcopi Mediolani, ſuperioribus menſibus, Romæ conſcripſiſſe, mira quædam cupiditas legendi hunc librum Veronenſes noſtros cæpit. qui liber & ſi Romæ opera & cura Siluij Antoniani viri admodum eruditi parari diceretur, nihilominus maiorem in modum deſiderium hoc omnium animis accedebatur, quod non niſi aliquo temporis interuallo facultatem huius lectionis haberi poſſe dubitabatur. ego vero qui bonis omnibus operam meam nauare institui, indeq; iuſtum admodum Veronenſium deſiderium proficiſci videbam, quod liber à Card. & Epiſcopo ſuo de vita Cardinalis Borromei ſcriptus eſſet, cuius pia beneficia populus Veronenſis coleret, à quo ſæpius, cum Veronam ei accedere contigiſſet, illuſtres paternæ beneuolentiæ ſignificationes acceperat, dum e loco ſuperiori, ſacris concionibus præcipuo quodam amore animos, in quos mirifice influxerat, enutriret; multaq; alia charitatis argumenta daret; vt expoſcentium honeſtiſſimum cupiditati ſatisfacerem, maturandam editionem meam ſtatui. Accipe igitur benigne lector librum tibi pluribus rationibus apprime futurum vtilem. cui adiunximus duo opuſcula, Epiſcopum ſcilicet & Cardinalem, ab eodem authore conſcripta, in quibus officia & inſtituta ad tantas dignitates pertinentia; vſum vero & tractationem eorum in eadem vita Borromei ſimul intueri poteris. Vale.

ANDREAE BATHOREO
DIACONO CARD. AMPLISS.

Siluius Antonianus S. D.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

ADMIRABILEM Dei prouidentiam in Eccleſia gubernanda, quam ſuo ſibi ſanguine acquiſiuit, operæ pretium eſt, vt arbitror, Andrea Cardinalis Ampliſs. interdum contemplari attentius, nam cum à Principe Mundi huius, & filijs tenebrarum, multis dolis, & machinis, ſed duplici in primis armorum genere vehementiſsime oppugnetur, falſa nimirum doctrina, & flagitioſa vita; è regione milites ſuos fortiſſimos omni tempore excitat Deus catholicæ veritatis propugnatores, ſanctimoniæ magiſtros, non illius fucatæ & adumbratæ, ſed veræ ac ſolidæ; qui diuina gratia inſtructi verbo, & exemplo pro Dei domo pugnant, & pro Ciuitate ſancta Hieruſalem aduerſus agmina Babilonis. Hinc Martyrum inuictiſſimi exercitus, hinc lectiſſimarum Virginum Chori, hinc ſanctè, caſteq; in Domino nubentium honorata coniugia, & thori immaculati, hinc laborioſæ viduarum victoriæ, hinc omnium generum, atq; ordinum triumphi, quorum iucundiſſima varietate, tanquam pulcherrimo amictu ſummi Regis ſponſa conueſtitur, hinc deniq; Paſtores, & Doctores clariſsimi, qui Eccleſiam Dei eruditione, & ſanctitate illuſtrarunt; longum eſt veterum ſæculorum memoriam repetere, plenæ exemplis ſunt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, omnis ætas ſingulari Dei dono viros tulit Apoſtolicos, non ſolum loco, officio, auctoritate, ſed ſanctitate,

vitæ integritate, innocentia. Et quanquam negandum non eſt primis illis naſcentis Eccleſiæ temporibus ſpirituales agros, quibus non aquarum inductiones, ſed copioſæ Spiritus Sancti primitiæ & calens adhuc martyrum ſanguis fœcunditatem dabant, feraciores, atque vberiores multo fuiſſe, & magnam, vt ita dicam, ſanctorum præcipue Epiſcoporum ſegetem extuliſſe: tamen & in hac quoque vltima ſeneſcentis, & pene decrepiti Mundi ætate pro patribus filij naſcuntur, nec deſunt, nec deerunt vnquam ſanctiſſimi Pontifices, religioſiſſimi Cardinales, vigilantiſſimi Epiſcopi, ſub quorum pedibus Deus Sathanam conterit. Nuper, ac plane paulo ante ipſi vidimus magnum illum Dei ſeruum, imaginem antiquitatis, ſpecimen temperantiæ, exemplum veteris diſciplinæ, alterum noſtri temporis Ambroſium, Carolum dico Borromeum Cardinalem Sanctæ Praxedis, Archiepiſcopum Mediolani, qui illuſtri genere natus, ſed virtute, & pietate multo illuſtrior in ſublimi loco Dei prouidentia collocatus, ſummi Pontificis ſororis filius, non ſolum Romanæ Eccleſiæ magno fuit ornamento, nec tantum Mediolanenſem Prouinciam, finitimasq; regiones ſuauiſſimo Chriſti odore compleuit; ſed tanquam lucerna ardens, & lucens in excelſo candelabro toti luxit Eccleſiæ. Huius vitam ſanctiſſime actam, dum alij complures viri docti, & eloquentes, hoc de genere multa moliuntur (neque enim tam excellenti virtuti ſcriptores deeſſe poſſunt, qui illam poſteritati monimentis commendent ſuis) interea hic Romæ per æſtiuos dies vir Ampliſſimus Auguſtinus Valerius Cardinalis, & Veronæ Epiſcopus, primus, quòd ſciam, conſcripſit, & doctiſſimo, atq; integerrimo Cardinali Antonio Carafæ dicauit. Eſt autem breuiter ſcripta, ſed enucleate mihi quidem, vt videtur, ſic enim minuta quæq; & tenuiſſima non perſequitur, vt grandia, & grauia non prætermittat,

&

& dum ſumma rerum capita perſtringit, nihil fere de vtilitate detrahit, & dilucida breuitate, quam in omnibus ſuis ſcriptis adamauit, mirifice oblectat. Cæterum etſi Auguſtinus Cardinalis doloris leniendi, & illius memoriæ, quocum coniunctiſſimus fuit, recolendæ cauſa, ſibi tantum hæc ſcripſit, aut paucis interioribus amicis, nec vt in omnium manus peruenirent, animum facile induxit: tamen cum pro ſua humanitate, & veteri erga me beneuolentia librum mihi legendum dediſſet, non ſum paſſus pios homines permultos & maxime Epiſcopos tam fructuoſa lectione priuari, præſertim cum ipſe acri iudicio, & prudentia vir Cardinalis Carafa idem ſentiret, mandaret potius, nam bonum communicatione gaudet, & quanto latius patet, tanto diuinius, ac præſtantius. Mitto igitur ad te Andrea Cardinalis Illuſtriſſime impreſſum librum, vt quaſi de tua manu in aliorum manus tradatur, fidemq; meam, quam tibi per literas ſuperioribus diebus obſtrinxeram de mittenda ad te breui tempore Caroli Cardinalis vita iam libero, & certe non ſine additamento, duos enim aureolos eiuſdem auctoris libellos adiunxi de Epiſcopo, & Cardinali, quorum alter iam Mediolani editus, alter ante annos decem conſcriptus penes me aſſeruabatur. Id enim res ipſa poſtulare videbatur, nam præclaram illam Cardinalis & Epiſcopi formam, quam animo concepit, & eleganter delineauit Cardinalis Veronæ noſtris temporibus, aut expreſſit Carolus, aut certe ad eam proxime acceſſit. Nec vero dubito hunc tibi libellum in delicijs fore, cum ob argumentum ipſum, tum etiam ſcriptoris nomine. Nulla tibi gratior ſiue ad loquendum, ſiue ad legendum materies, quam Carolus Cardinalis, quem ſummo ſtudio coluiſti, quem non alio nomine, quàm parentis appellare ſolitus es, à quo vnici filij loco in Chriſto diligebaris, quem tibi potiſſimum vnum ad imitandum pro-

poſuiſti,

poſuiſti, nam de libri auctore, quo cum tam multa tibi intercedunt amoris, & collegij vincula nihil neceſſe eſt dicere, certe genus ipſum ſcribendi non argutum, & calamiſtratum; ſed lacertoſum, & plenum optimarum ſententiarum ſucco, & Eccleſiaſtica quadam grauitate conditum, te egregium harum rerum æſtimatorem facile alliciet. Vtrum vero eius etiam, à quo liber miſſus eſt ratio, aliquid iucunditatis aſpergat, quantum ea in re ſpei mea tenuitas adimit, tantum tua benignitas addit. Singularis meæ in te obſeruantiæ Cardinalis Ampliſſime, hoc quicquid eſt teſtimonij certe extabit.

ANTONIO CARAFAE
CARDINALI AMPLISS.

AVGVSTINVS CARD.
VERONÆ.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

HISTORIAM eſſe veritatis teſtem, nuntiam vetuſtatis, & magiſtram vitæ optime noſti. Huius qui eſt expers, ſemper puer cenſendus eſt. Nobilis hiſtoriæ pars, fructus potius ſuauiſſimus hiſtoriæ exiſtimatur ille, qui explicatione vitæ illuſtrium virorum percipitur: continet enim exempla, quibus ad amplectendas virtutes, & ad fugienda vitia mortales vehementer inflammari poſſunt. Et iccirco Plutarcus, Laertius, Suetonius, qui vitas Romanorum, & Græcorum literarum monumentis conſignauerunt, inter hiſtoricos merito numerantur; in quorum numero Aloyſium Lippomanum Veronæ Epiſcopum, Lau-

rentium Surium, qui res geſtas Sanctorum in volumina redegerunt, iure collocauerimus, & viros de Eccleſia ſancta Dei optime meritos dixerimus. Et vitam Caroli Borromei Cardinalis Sanctæ Praxedis ſcribere oportuit, vt poſteritati, viri noſtra ætate præſtantiſſimi ſanctitas teſtata ſit, & ne debita laude vir Dei defraudaretur, multo magis vt eius exemplo, qui futuri ſunt ad varias & excellentes virtutes imitandas excitarentur. Sed multum ac diu cogitaui, ne ſingularis amor, quo Carolum ſum proſecutus, plurima etiam eius in me beneficia ſcriptioni meæ fidem apud aliquos eſſent ademptura. Verum cum meminerim ſanctum Ambroſium Satyri fratris laudes duobus libris complexum eſſe. Bernardum itidem in homilijs, quas in Cantica Canticorum conſcripſit præclara de laudibus Gerardi fratris inſeruiſſe. Gregorium Nazianzenum patris Gregorij, Cæſarij fratris, & Gorgoniæ ſororis. Item Nyſſenum fratris Baſilij, & Macrinæ ſororis. Auguſtinum itidem Monicæ matris laudes conſcripſiſſe, ſic mecum interdum collocutus ſum. Viri ſancti, quos nominaui, tanta amoris, & ſanguinis coniunctione minime retardati, parentes, fratres ſuos laudarunt, alij amicorum ſuo-

rum,

rum, quorum virtutes ſunt admirati, vitam conſcripſerunt, vt Athanaſius Antonij. Martini Seuerus. Bernardus Malachiæ. Gregorius Baſilij, alijq́; complures, laudationibus etiam mortuis debitum honorem tribuerunt, amori etiam ſuo aliqua ratione indulſerunt, cur ipſe idem officium non præſtem optimo viro egregio Epiſcopo, & Cardinali Ampliſſimo? cur me ipſum explicatione tantarum virtutum, quas noui, & ſum admiratus non recreem? cur eaſdem optimo Cardinali, quem vnice dilexiſſe Carolum ſcio, non commemorem? vt illa commemoratione pius Cardinalis magnopere oblectetur? Scribent alij vberius, latiſſimus eſt enim ſcribendi campus, & tam excellentis virtutis non defuerunt admiratores. Scribam ipſe, quæ vidi, quæ audiui, quæ longa cum eo conſuetudine mihi comperta ſunt. Laudationem certe non inſtituo, ſed interdum digredi aliquantum, aut alicubi diutius inſiſtere mihi licere arbitratus ſum, tum amore ipſo impellente, tum etiam maxime vt mihi ipſe ad tot tantasq́; virtutes imitandas acriores ſtimulos inijcerem. Tibi Antoni Carafa Cardinalis mittēda erat hæc ſcriptio, qui, vt paulo ante indicaui, à Borromeo amabaris valde, eiq́; paria in amore referebas, & multis

tis quibus ille virtutibus inſignis, eundem, quem Carolus noſtro ordini ſplendorem afferebat, affers tu hoc tempore. Et quidem omnibus ſæculis in ſacro Cardinalium Collegio præſtantes multi viri doctrina, & pietate floruerunt, quos commemorare, & longum, & ſuperuacaneum eſſet. Hunc Borromeum (vt Pium IV. Pontificem eius auunculum omittamus) & Pij V. & Gregorij XIII. Sanctiſſimorum Pontificum teſtimonijs, varijs, & multis laudibus celebratum ſcimus. probatum etiam valde fuiſſe Sixto V. viro acri iudicio, & doctrina eximia, quem diuinitus nuper nobis datum Pontificem habemus, cuius Pontificatu Eccleſiæ Sanctæ Dei commoda omnia acceſſura ſperamus. Nec ſolum Pontificibus, quos nominaui, & ſacro Collegio Cardinalium, ſed toti orbi Chriſtiano eiuſdem Caroli virtutem admirandam extitiſſe magna noſtri cum animi lætitia audiuimus, profuturam etiam eius vitæ explicationem poſteritati Deo iuuante ſperauerimus.

CAROLI CARDINALIS BORROMEI VITA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMMANUELE

QVÆ eſt naturæ humanæ peruerſitas, vt quæ imitari nos poſſe diffidimus, falſa putemus, aut debita laude defraudemus. Sic Inuidia Virtutis hoſtis perpetua iudicium peruertit, & ſuperbia vitiorum omnium mater virtutem obſcurare nititur. De illis, qui ex hac corporis cuſtodia egreſſi ſunt, poſteritas recte iudicat, res ab illis egregie geſtæ tunc commemorantur libenter, quia nemo qui viuit inde vel minimam exiſtimationis iacturã facere poteſt. Quis enim cum mortuo contendat? Quis mortuo inuideat? Quis à mortuo vllo in genere laudis ſuperari moleſte ferat? Caroli Cardinalis Borromei vitam, et mores explicans variarum virtutum exemplar proponam. Nobilibus viris veræ nobilitatis formam indicabo. Epiſcopis paſtoralibus eius

virtutibus ſtimulus inijcietur. Cardinalibus ſingulis exempla egregia proponentur. Sanctus Bonauentura Cardinalis in Concilio Lugdunenſi à Petro Tarantaſio Cardinali Oſtienſi, qui Pontifex Maximus creatus Innocentius V. appellatus eſt, fuit laudatus. Inde nobis relictum exemplum eſt, vt Cardinales illi, qui virtutum ſpecimen reliquerunt, ad eorum imitationem excitandam, qui viuunt, et qui conſecuturi ſunt laudentur. Cum egregia nobilitate humilitas. Cum contemptu rerum externarum animi celſitudo. Cum magna hilaritate caſtigatio corporis perpetua. Sacrarum literarum ſtudium aſsiduum: Cum varijs, et maximis negotijs inuictus animus mira humanitate temperatus. Mortis contemptus cum interiore gaudio. Charitas eximia erga pauperes inditijs declarata plurimis cum vitæ etiam periculo. Prædicationis ſtudium meditationibus, et precibus aſsiduis enutritum. Paſcendarum animarum excellens quædam ars. Synodorum conficiendarum documenta præclara. Quid moramur? Virtutum omnium ſpecimen nobilibus viris cuiuſcunque ætatis, Epiſcopis, & omnibus, quibus

anima-

animarum cura eſt credita, Cardinalibus in primis affert Caroli Cardinalis vita, quæ ſine vllo fuco, ſine verborum lenocinijs explicanda eſt, vt debitus honor totius ſanctitatis auctori Deo tribuatur. Vt, qui viuens adhuc fœcundam pernitiem Inuidiam virtutis præſtantia ſuperauerat, proſit etiam mortuus Eccleſiæ Dei, aliqui noſtrum non habeamus vnde ignauiam excuſemus noſtram, qui tam longe à præſtantiſſimi viri, cuius ſermonibus longo tempore frui licuit, virtutibus abſumus.

COMITVM Borromeorum familiam, Mediolani in nobiliſſima illa ciuitate inprimis florentem ignorat nemo. Vitaliana quoque gens Patauij peruetuſta eſt; & quidem ex vtriuſq; ſtirpis genere Caroli noſtri maiores originem duxerunt. Eſt etiam nobilitatis laus quædam, nimirum quòd eſt veluti ſtimulus ad virtutes, & deterret maxime homines, ne in illam infamiam incidant, vt à maiorum ſuorum virtute degenerare videantur. Pietatis Borromeæ familiæ præcipua laus fuit, et ſinceræ religionis, cuius Carolus adhuc puer ita fuit ſtudioſus, ut in conficiendis altaribus pueritiæ ſuæ tempus ferè totum conſumeret,

cum interea parentibus, et magiſtris obediens, & dicto obſequens valde eſset. Senilis quædam in eo apparebat prudentia, ita vt eius æquales illum venerarentur. Giberto patre uiro forti, et honorato, & matre Margarita ex Medicea familia eſt genitus, quæ Ioannis Angeli Medicei, qui poſtea Pius IV. Pontifex Maximus eſt dictus, & Joannis Iacobi Marignani Marchionis ſoror. In ea conſtans, & uirilis animus fuerat, cuius exemplum in omni ſua uita Carolus filius, vt ſtrenuus Chriſti miles in Chriſtiana militia, & egregius gubernator in gubernatione Eccleſiaſtica ſe oſtendit: A natura huiuſmodi duxerat ingenium, ut minus uelle, minus appetere quicquid uelle, quicquid appetere ſibi in animum induceret. quare ſibi omni ſtudio conandum ſæpe dicere conſueuerat, ut aſſueſceret uelle, quod laudabile eſſet, & appetere, quæ ſua natura appetenda ſunt, ſibi enim timendum ualde cenſebat, ſi à recto uirtutis tramite deflectere cœpiſſet, in maximas ſe prolapſurum calamitates, quam ſapientiam adoleſcentes utinam multi ſenes imitarentur. Ticini aliquot annos iuri ciuili, & canonico

operam

operam dedit. carus æqualibus. ſenibus admirabilis. acceptus omnibus. Vigeſimumtertium annum agebat, cum Ioannes Angelus eius auunculus ad Summi Pontificatus faſtigium euectus eſt. Cum autem primum Romam ueniſſet, in Sacrum Cardinalium Collegium cooptatus, & Mediolanenſis Archiepiſcopus creatus eſt. Nemo enim unquam auunculus magis ſororis filium quempiam non modo dilexit, ſed inſolito quodam honore proſecutus eſt, vt Pius Carolum dilexit, & honoribus varijs affecit. Profectò ita ſe res habet. Nihil eſt modeſtia amabilius, & nihil quidpiam humilitate ſublimius explicari poteſt. Honores plerunque fugientes ſequuntur, auide illos appetentes fugiunt. Hortabantur plurimi Carolum, ut ſacerdotia pinguiora peteret, ut rei familiari, et reditibus augendis ſtuderet, qui cum reſponderet ſe ſatis diuitem futurum, ſi Deum timeret, et ſi noſſet uti illis, quæ ſua ſponte pro ſua benignitate eius auunculus Chriſti Vicarius illi donauerat. Pius animi moderationem admirabatur, & in dies magis eius in Carolum amor augebatur. Sanctæ Sedis Apoſtolicæ negotia præcipua,

pua, & maxima Carolus tractabat egregia fide, & ſingulari diligentia. Principum legatos audiebat, negotiorumq́ omnium ſummam ad Pontificem ſummum bis in die referebat. Neminem ipſe vnquam decepit, nunquam vllum pollicitationibus, & inani ſpe lactauit. Illa ætate florente in tanta rerum copia, blandientibus, et adulantibus quamplurimis, cum maxime tranſgredi poſſet non eſt tranſgreſſus. In nullam vel minimam incontinentiæ ſuſpitionem incidit, quia maxime omnium peccandi occaſiones fugit. Singulas diei horas recte collocare nouit, ita vt omnium virtutum exemplar extiterit, & eius domus ſeminarium præſtantiſſimorum hominum habitum ſit, et nuncupatum. Et aliqua noctis pars in optimarum literarum ſtudijs cum doctis viris, et intimis nonnullis familiaribus ingenio præſtantibus collocabatur, vt omnino otium incontinentiæ, & peccatorum omnium fomes tolleretur. Illa ipſa honeſta oblectatione moleſtiæ, quas varia negotia coniunctas habent, condirentur; nihil temporis diurnis negotijs detrahebatur, ſed ſomno, & quieti, quare, & noctes Vaticanas appellari placuit. Et

ipſe

ipſe cum Romæ apud Cardinalem Nauagerium auunculum meum viuerem eo tempore, cuius memoria in omni vita mihi iucunda futura eſt, in eorum numero, qui optimi Cardinalis familiaritate vtebantur, fueram: Sapienti iuuene, Cardinali optimo, & Pontificis ſororis filio dignum inſtitutum, ſic vitam ſuam informare, ſic tempus diuidere, vt quotidie aliquid diſcat, vt Inuidiam, quæ virtutis, & proſperitatis eſt inimica, ſuperet, vt omnem maledicendi occaſionem adimat. Tractabantur quæſtiones quædam ciuiles aulica quadam & eleganti oratione; in quibus tractandis non minimum ſtudium adhibebatur. acuebatur ingenium, facultatem dicendi vnuſquiſque ſibi comparabat. Seria iocis miſcebantur. Ex illis qui in illum locum conueniebant Cardinales non pauci, plerique etiam Epiſcopi extiterunt. Et de vtilitate capienda ex libris gentilium Sanctus ſcribit Baſilius, è quibus hæc in primis poteſt capi vtilitas, vt laudabili quodam pudore ſuffundamur, cum nos Chriſtiani à gentilibus aliquo virtutum genere ſuperari animaduertimus. Contemptus rerum humanarum, & diuitiarum,

rum,

rum, honorumq́; deſpicientia quædam, virtutisq́; admiranda præconia, robur in primis quoddam animi præclarum in morte contemnenda, quod Stoici in ſuis libris profitentur, Epictetus in primis aureolo illo ſuo libello, quod Enchiridion inſcribitur, cur nos interdum non moueant? Commotum ſe dicebat Carolus Cardinalis lectione libelli illius, quem nominaui; & tum primum cœpiſſe deſpicere quæ cæteri admirabantur, cum Stoicorum dogmata diligenter cœpit conſiderare. Tam bonus eſt Dominus Deus, vt rationibus varijs, nobis etiam minime notis noſtris ſoleat conſulere commodis. Verum non ſolum Stoicorum diſciplina, quæ ſpecioſa quidem eſt, ſed non paucis in rebus à veritatis deflectit tramite: Sed in vera philoſophia, quam quicunq; Chriſtiani ſumus profitemur, ſe multum profeciſſe oſtendit cum acerbam & immaturam Federici fratris mortem æquo, & conſtanti animo tulit. In illo ſitæ fuerant omnes ſpes ſuſcipiendæ prolis, et nobiliſſimæ familiæ propagandæ. Ad Federici vnici fratris filios non minimarum opum, multiq́; ſplendoris hæreditas pertinere videbatur. Propinquorum morte

aliqui

aliqui affliguntur, & quodammodo mœrore tabeſcunt. hic vnici fratris mortem æquiſſimo animo tulit, omniq́; mœrore abiecto ſe ipſe colligens fratris immaturam mortem cohortationem ad mortem perpetuò meditandam, et ad cœleſtem patriam quærendam diuinitus ſibi factam putauit. Ab eo tempore in Vaticanis noctibus non quæſtiones amplius è media philoſophia ſumptæ tractabantur, ſed ſententiæ quædam graues à ſacroſanctis Euangelijs depromptæ copioſe & eleganter explicabantur, Illæ in primis quas Dominus noſter Ieſus Chriſtus de vera beatitudine ſententias plane grauiſſimas ore ſuo protulit. Hanc dicendi exercitationem ad hunc vſum inſtituerat tanquam vmbratilem quandam pugnam, vt Mediolani, deinde ad populum promptior iam atq; inſtructior ſermonem haberet. Valet enim ad comparandam facultatem dicendi, & loquendi quandam fiduciam mirabiliter exercitatio. Valebat Carolus ingenio, præſtabat memoria, non tam naturæ vi, quàm rerum ordine, & partitione, & quadam facultate omnia ſuis locis rectiſſime diſponendi, & hanc quidem à naturæ potius bonitate in-

generatam, quàm artificio comparatam, facultatem habebat. Judicio excellebat, quod non minimæ virtutis eſt indicium. Doctorum hominum conſilia in ſuis ſcriptionibus admittebat. Videbatur initio eius ſermo exanguis, quòd minime audientium animos permoueret. Quod naturæ impedimentum, ſiue difficultatem, aut pronunciandi potius celeritatem longo vſu dicendi maxime temperauit, ita vt in Eccleſia Mediolanenſi, & in Parochialium viſitatione & ſæpe loqueretur et expedite, & non minimo cum animarum fructu, acresq; aculeos dicendo relinqueret. Poſt fratris Federici obitum, eluſis quorundam hominum conſilijs, qui terrena ſolum, & carnali prudentia præditi neſcio quas nuptias ad propagandam familiam ſomniabant, ſacro presbyteratus ordine ſuſcepto quotidie cœpit ſacrificium offerre Deo; cum pijs, & doctis hominibus verſari frequentius, aliquot horas ſingulis diebus quamuis varijs, & magnis occupationibus diſtentus, in optimis libris ponere. Reditus Eccleſiaſticos vltro ab auunculo ſibi oblatos modeſte cœpit recuſare, magnas opes cœpit ipſe habere ſuſpectas, quippe quæ ſi attre-

ctentur

ſtentur veluti ſpinæ confodiunt et exulcerant animam. Oeconomum eſſe Domini noſtri Ieſu Chriſti intellexit diſpenſatorem multarũ opum. Magnam copiam putauit cupiditatum inopiam. Abijciendum faſtum. Multis non indigere nos ſi ſapimus. Dum autem maiori gratia, & auctoritate apud auunculum Pontificem valeret, nihil maiore ſtudio, aut diligentia contendebat, quàm vt ſacroſanctum Concilium Tridentinum ſeruaretur. Præclariſſima, & maxime ſalutaria decreta, quibus Eccleſiaſtica diſciplina potiſſimum continetur, & ſpes renouandæ veteris dignitatis Eccleſiæ in primis nititur, ſeruari ſtudebat. Nam confirmato à Pio in primo Conſiſtorio poſt legatorum ad Vrbem reditum, Tridentino Concilio, monuit deligendos eſſe qui controuerſias, quæ ex eius explicatione oriri poſſunt tollerent: inſtitutaq; eſt Congregatio Cardinalium Tridentini Concilij interpretum, in qua ipſe ſemper fuit, quæ viget adhuc, quæ vtilitates plurimas Eccleſiæ Dei attulit. Et viuente auunculo Pontifice magnis precibus ab eo impetrauit, vt ſibi liceret Mediolanum ad Prouinciale Concilium celebrandum acce-

dere; quod Concilium, conuocatis Prouinciæ Coepiſcopis, cum aliquos viros optimos in Eccleſiaſtica diſciplina admodum verſatos ſecum adduxiſſet, mira celeritate confecit, & ſingulo quoq; triennio nouam ſynodum habuit, edendas etiam omnes curauit, vt ſuo loco aperiemus. Ipſe, qui paucos ante menſes Epiſcopus Veronæ eram factus; cum Pontificis iuſſu Tridentum euntem Cardinalem per totam Italiã Apoſtolicum Legatum, Deſenzani ad Benacum conueniſſem, & per ea loca Veronenſis diœceſis, officij et veteris obſeruantiæ ergo eſſem comitatus, diligentiam paſtoris admiratus, & virtutes plurimas, quibus in diem magis proficiebat. tum primum Carolum Cardinalem Archiepiſcopum Mediolani Epiſcopis diuinitus ſtimulum iniectum palàm dicere cœpi, & in me ipſo ſum expertus. Veronam etiam eo tempore acceſsit cum Tridento rediret, qua in Ciuitate regias fœminas Ferdinandi Imperatoris filias, quæ Principibus Italiæ matrimonio iungendæ erant, Pontificis iuſſu excepit: illos, qui Giberti optimi Epiſcopi familiaritate vſi fuerant, diligenter interrogauit, qua ratione gregem illum tanta

ſua

ſua cum laude paſceret, mirumq́; ſtudium paſtoralis artis addiſcendæ præſetulit, tantamq́; modeſtiam, aut humilitatem potius oſtendit, vt à nemine non vellet diſcere. Redibat Romam non minimo cum animi dolore, quòd ſponſam, quam præcipuo amore diligebat relinquere cogebatur, cum de grauiſſimo morbo, quo Pius laborabat nuntium accepiſſet, citatis equis magna cum celeritate ad auunculum Pontificem rediјt, quem cum morti proximum conſpexiſſet, absq; vllis lachrimis intrepido animo, vultu etiam hilari auunculum, à quo paterne fuerat dilectus, à quo honoribus plurimis, & opibus fuerat auctus, intuens. Pater ſanctiſſime (inquit) nunc de patria illa cœleſti cogitandum eſt. In hoc Crucifixo, cuius imaginem ipſi oſtendebat, & oſculandam tradiderat, ſpes noſtræ collocandæ ſunt. Hic vita noſtra, hic reſurrectio noſtra. Hic interceſſor. Hic hoſtia pro peccatis noſtris oblata. Hic neminem reſpuit in ſe credente, m illum verum Deum confitentem, & in ſe ſuas ſpes collocantem. Dolore peccatorum commiſſorum, et vera pœnitentia delectatur Dominus, benignus, patiens, miſericors & clemens. Accipie-

cipiebat ea et ponderabat moribundus Pontifex, & pio ſororis filij obſequio incredibiliter recreabatur. Miniſtrauit illi ſanctiſsima ſacramenta, lectionem euangelicam lectitabat. flexis genibus orare pro moriente auunculo Pontifice non deſinebat. Aderat Cardinalis Sirletus, doctrina, & pietate inſignis, quem Borromei monitu, & rogatu Pius, Cardinalem paulo antea fecerat. Mortem auunculi cum conſtanti animo tuliſſet Carolus, res maximas cœpit cogitare. Ad creandum Pontificem in auunculi locum animum adiecit, qui Concilium Tridentinum fœliciter à Pio perfectum, ſeruandum curaret, qui diſciplinam Eccleſiaſticam, quæ iam renouari cœperat ad priſtinum candorem redigeret. Cumq́; ſine eius conſenſu, & illorum, quos plurimos Pius auunculus Cardinales crearat, nemo creari poſſet Pontifex: hoc maxime ſtuduit, vt Reip. conſuleretur Chriſtianæ. Et ne mora in creando Pontifice aliquod detrimentum Chriſtiano populo afferret, nulla priuatarum rerum ſuarum ratione habita, non enim ſatis fauiſſe Pius Cardinali Alexandrino dicebatur eundem Michaelem Cardinalem Alexandrinum,

num, qui poſtea Pius V. nominari voluit creandum Pontificem cenſuit, illiq; fauit, qui ſuo in Pontificatu non Concilium tantum Tridentinum curauit ſeruandum, ſed decretis quàm plurimis Eccleſiam ſanctam Dei inſtruxit et ornauit. Præcipuum Cardinalis munus eſt in creando Pontifice maximam adhibere diligentiam; nulla commodorum ſuorum ratione habita, eum deligere Pontificem, quem Chriſtiano populo magis profuturum arbitretur, qui minime omnium ad tantum faſtigium aſpiret. qui crucem Pontificatum exiſtimet. qui vitæ ſanctimonia, & aſsiduis precibus, frequentibusq; ſacrificijs cum Deo, cuius vices Romanus Pontifex gerit in terris, familiaritatem aliquam quatenus humana natura patitur, habeat. Contemptis rebus humanis in Dei gloriam primis habeat propoſitam. Virum hiſce moribus, & perpetua, & Angelica quadam caſtimonia præditum ſucceſſorem auunculo declarandum exiſtimauit. quo Cardinalis optimi & ſacri Collegij ſapientiſsimo iudicio vtilitates variæ, & maximæ ad Eccleſiam Dei redundarunt. Nam Pio V. Pontifice iuſtitia viguit maxime, Eccleſiaſti-

ca diſciplina renouata eſt. Virtuti honores magni tributi. Principes Chriſtiani debita veneratione Chriſti Vicarium proſecuti ſunt. Singulari Dei beneficio Victoria illa aduerſus Turcas, fœdere icto, conſecuta eſt. quæ non eſſe inſuperabilem Turcam oſtendit, ſi adſit præclararum rerum perficiendarum mater Concordia, quæ niſi conſecuta eſſet, luctuoſum eſſet cogitare quo in ſtatu Chriſtianorum res eſſent. Creato Pio V. Pontifice, Mediolanum cogitare cœpit, quia ſponſæ diutius deſiderium ferre non poterat. quia illum, qui ſeruandum Tridentinum Concilium ſtuduerat, id admodum decere intellexerat, cuius opera quamuis Pius vti magnopere cupiuiſſet, rogaſſetq́ illum, vt Romæ maneret aliquot menſes, vt ſibi partem adimeret ſollicitudinis in plurimis & maximis negotijs, quibus occupabatur, Concilij Tridentini decreto, & plurimis alijs rationibus ſe excuſans, relicto Pontifici ſui deſiderio Mediolanum profectus eſt. Abbatiam Cornu, quam dicunt agri Placentini ſane vberem in manibus Pontificis reſignauit, nonnullasq́ alias eruditis, & pijs hominibus, quorum opera fuerat vſus, auctoritate Pontificis

tificis

tificis petita ceſſit. Neque ita multo poſt Maioris Pœnitentiary munere, quod amplum Romæ, & perhonorificum eſt, ſe ſponte abdicauit. Mirum fuit hoc ſæculo valde cupido tot reditus Eccleſiaſticos ſponte cedere, opes, quas alij quærunt, & admirantur contemnere. In Cardinalatu moderationem Eccleſiaſticam ſplendori præferre, et opulentiæ inuidioſam illam copiam, & periculoſam dicebat. In beneficijs ſingulis Eccleſiaſticis quamuis ſimplicia eſſe dicantur, coniunctam eſſe curam non minimam cultus Eccleſiaſtici retinendi, & augendi cenſebat. Mediolanum profectus colligendorum hominum in ſua diœceſi valde anxium, & in illis retinendis, et fouendis ad vſum Eccleſiæ ſuæ Mediolanenſis tenacem admodum extitiſſe iure dixerim. Nam ex Veronenſi diœceſi Nicolaum Ormanetum ex vetere Giberti Epiſcopi diſciplina, qui poſtea Epiſcopus Patauinus fuit, & alios nonnullos ad ſe vocauit. Cumq; ſingulis annis diœceſanos ſynodos celebraſſet, & tertio quoq; anno, vt dictum eſt, Prouinciale Concilium; Eccleſiam ſuam ſanctiſſimis inſtitutis ornauit, & auxit. Collegium ſocietatis

Ieſu, domum itidem ex Patrum illorum præſcripto Mediolani inſtituit, Patrumq; illorum opera, & conſilio plurimis in rebus eſt vſus. Abbatiam quandam Aronæ, quod caſtrum inſigne ad nobiliſſimam Borromeorũ familiam pertinet, à qua eandem inſtitutam, & dotatam fuiſſe veriſſimile eſt, & quæ diu in eadem domo permanſerat, cuius titulus ipſi commendatus fuerat, auctoritate Gregorij Pontificis, conſanguineis probantibus Collegio Ieſuitarum vniendam curauit, vt eius pietatis tota Borromea familia, & illi qui futuri ſunt eſſent participes. Non quærit charitas quæ ſua ſunt. Communem vtilitatem ſpectat. publica commoda priuatis cõmodis anteponit. Et pijs operibus inſtituendis Carolus diligentiam maximam adhibebat. & Clerici regulares, à Ioanne Petro Archiepiſcopo Theatino inſtituti, qui poſtea Paulus IIII. Pontifex fuit, Mediolanum vocati, homines innocentiſſimi, & in omni Eccleſiæ cultu, & decore domus Dei diligentiſſimi. In partiendis autem Eccleſiaſticis muneribus mirum fuit quantum iudicium, quantamq; diligentiam adhibebat, ita vt quàm plurimorum hominum opera eo-

dem

dem tempore vteretur, tantaq́; modeſtia, tantaq́; cum animi tranquillitate onera impartiri conſueuerat, vt ſe beatum putaret is, cui aliquid ipſe imperaret. Iubere enim Spiritum Sanctum vnuſquiſq; ſibi perſuadebat, quæ Carolus facienda familiaribus, & amicis ſuis proponebat. cuius rei ipſe ſum teſtis. Nam cum Mediolanum acceſſiſſem Veronæ Epiſcopus, vt tanti Archiepiſcopi exemplo, eiusq́; optimis præceptis redirem inſtructior, indicauit mihi ſe cupere, vt onus ſcribendi Rhetoricam Eccleſiaſticam ſuſciperem. Tantam prouinciam ſuſcepi, exiſtimans me non ei, ſed Deo ipſi parere, quo cum ipſe in aſſidua lectione ſacrorum librorum, & frequentibus colloquijs, ſacrificijs in primis quotidianis verſabatur ſemper. Et quanquam mihi opus difficile admodum videbatur, negare quicquam ſancto viro moleſtum admodum mihi erat. Et opus ſcripſi breuiore ſpatio temporis quàm unquam credidiſſem, liberè etiam affirmauerim, & in omni uita mea affirmaturus ſum, excitatorem me habuiſſe neminem acriorem, qui uehementiores mihi ſtimulos adijceret ad labores omnes perferendos, et ad diſciplinam

Eccleſiaſticam capeſſendam. Vere illud de eo dici poterat. Super ſenes intellexit, quia mandata tua quæſiuit. Seniores enim nos Epiſcopi ab illo præcepta accipiebamus, eius monita non ſequi turpe iudicabamus. Et ipſe monendi munus non intermittebat, ſed tantam in monendo modeſtiam, et humilitatem adhibere conſueuerat, vt interrogationibus quibuſdam adhibitis, quaſi Epiſcopos in conſilium accerſeret, ſalutaria conſilia ad lucrandas animas Chriſto proponeret. Nemo Cardinalis maiore in honore habuit Epiſcopos, quàm Borromeus. Nulla ſchola noſtra & patrum ætate tàm celebris fuit, quàm Borromei domus. Nemo alacrius hoſpites accipiebat. Nemo plura beneuolentiæ, charitatis potius inditia ſingulis dabat. Ipſi arcana cordis libere quiſq; poterat credere. Ab illo deceptus fuit nemo. Linguam maxime omnium cuſtodiuit ſuam, vt ne verbo quidem quenquam vnquam falleret. Et maxime omnium dicendi exercitatione delectatus eſt. Et ad populum habuit ſermones multos, & crebros, ad illamq́; dicendi exercitationem, ad paternosq́; ſermones ad populos habendos, Epiſcopos, qui

ad illum accedebant, hortabatur. Lacte matris nutriuntur fœlicius filij, quàm lacte nutricis, quamuis illa ſit robuſtior. Et in paternis ſermonibus ineſt admirabilis quædam vis, quâ commouentur populi ad virtutes amandas, et ad vitia fugienda. Prædicandi ſtudio deditos, & incredibiliter delectatos pro Paſtorali eorum munere obeundo ſanctiſsimos Patres legimus; & qui aliter ſentiunt, & pium hominem, optimumq; Paſtorem interdum non laudarunt, quia prædicandi ſtudio maxime delectaretur, parum piè fecerunt, & Spiritui ſancto, qui in Concilio Tridentino illa verba inſeruit, Præcipuum eſſe munus Epiſcopi populum docere, viſi ſunt reſtitiſſe: inertes quodammodo Paſtores adulterina illa ſua prudentia efficiebant, illosq; liberali, & maxima voluptate priuabant, quanquam enim catholici populi multos pædagogos habeant religioſos viros doctrina varia, et facundia etiam inſtructos, non multi ſunt tamen (vt Apoſtolicis verbis vtamur) Chriſtiani populi Patres. Unus eſt omnium Pater Romanus Pontifex, eiusq; in ſollicitudinis partem dati Epiſcopi. Et vt nemo filius in Patre requirit eloquen-

tiam,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tiam, illumq; damnat quod minus ornate illum moneat; ſic paternos, et paſtorales ſermones nullus populus non libenter accipit, ſi paternæ illæ voces, quæ proferuntur, operibus etiam comprobentur. Sed profectò varios, et reconditos è Prophetis, & ex libris ſacris excerptos locos, quos Borromeus tractare conſueuerat, & eruditi etiam homines non probare non potuerunt, & Paſtoris induſtriam, & aſſiduum quod adhibebat ſtudium in perlegendis ſacris libris non poterant non valde laudare. Inſtituerat optimus temporis diſpenſator inertiæ inimicus acerrimus, & rerum laudabilium perpetuus excogitator, vt ſingulis diebus in oratorio, quod ædificandum curauerat in ædibus Epiſcopalibus, poſtquam cœnatum eſſet litaniæ dicerentur, deinde ſermones aliquot fierent, aut explicaretur pars aliqua Euangelij, aut ſententia ex ſancti Pauli Apoſtoli epiſtolis ſumpta copioſe exponeretur, ipſe omnium poſtremus dicere aliquid ſæpe conſueuerat. quod in oratorium conuenire ſoliti erãt non familiares tantum Cardinalis, ſed pij omnes qui pijs ſermonibus delectabantur. Et illo in oratorio epiſtolas, quæ præſcripto ſanctæ

Ma-

Matris Eccleſiæ ſingulis diebus Dominicis, & diebus feſtis recitantur explicauit. Sic paſtorales labores ſacrarũ literarum ſtudio, et prædicatione verbi Dei condiebat. Lectione ſacra orationem alebat, qua ſic cum Deo iungebatur, vt Angelicam indueret naturam. Et ieiunijs, & varijs corporis caſtigationibus tyrannidem corporis comprimebat, ſeruum potius corpus effecerat, ita vt interdum pijs exercitationibus deditus, ſynodos celebrans, parochias Mediolani, aut in latiſsima illa diœceſi viſitans ac ſi eſſet incorporeus. quadraginta etiam horas ſine cibo varia, et magna negotia tractabat, nec alicui interea corporis neceſsitati vacabat. quo tẽpore nõ deerant qui illũ reprehenderent. reprehenſiones autem ipſe hilari vultu excipiebat, & ſubridens dicere conſueuerat. Vnius horæ in extremo iudicij die reddendam eſſe rationem paſtoribus Eccleſiarum multò diligentiorem, quàm illis quibus nulla cura animarum commiſſa eſt, vnius diei. poſtulari ab Epiſcopis, & à Parochis, qui aliqua ratione, & ipſi Epiſcopi nuncupari poſſunt, vt plura hora vna ad Dei gloriam, & ad propagandam veram pietatem verbo

et exemplo gerantur, quàm die vno à cæteris hominibus. Quæ verba meo in animo vtinam inſculpantur, & illorum hominum, qui in paſtorali munere valde formidando verſantur. Et exactor temporis egregius, & vir deſideriorum ſanctorum, et documentorum plurimorum ad diſciplinam Eccleſiaſticam augendã perpetuus inuentor erat Carolus Cardinalis, qui cum maxime gauderet fieri diſcipulus, ab omnibus enim religioſis viris, hominibus etiã Eccleſiaſticis interrogationibus varijs quotidie fieri doctior, & in arte paſcendarum animarum fieri inſtructior ſtudebat, docebat tamen ipſe magis omnes Epiſcopos, & omnes clericos perpetua vultus ſerenitate, admirandaq; quadam æquanimitate, cuſtodia oris perpetua, vt ne verbum quidem otioſum proferre ſoleret. docebat ſic humilitatem, modeſtiam. pallore quodam vultus venerando ad continentiam, ac ſobrietatem omnes excitabat. Et excelſi animi, & præſtantis cuiuſdam fortitudinis ſpecimen dedit in tuenda iuriſdictione Eccleſiaſtica, cùm cauſas, quæ ad ipſum pertinerent, doctorum, & piorum virorum conſilio cognoſcere omnino ſtatuerit. Et potentium

minas non extimuit, quin potius pro dignitate Eccleſiaſtica tuenda, illos anathemate non deterruit ſolum, ſed perculit, ut diſcerent (quemadmodum dicebat) parere Eccleſiæ, & miniſtris Dei debitum honorem adhibere. Et fuerunt eo tempore qui ſanctiſſimi hominis humana omnia contemnentis, non ſolum illam animi conſtantiam non laudarent, ſed eius conſilium ualde improbarent, quòd nimis uellet quod uelle uideretur: quòd Regem potentiſſimum tot regnorum Dominum, catholicæ fidei defenſorem acerrimum inuſitata hoc ſæculo ſeueritate irritaret. Et Pium V. Pontificem Maximum, Philippum eximio amore, honoribus etiam magnis proſequentem huiuſmodi anathematibus in Regis Catholici miniſtros, & in Mediolanenſem ſenatum aliqua ratione turbarit. Sed gloriam unam Dei ante oculos habebat propoſitam, & nihil quicquam magnum ſine Pij V. Pontificis, & Gregorij XIII. quos magna ueneratione proſequebatur, conſilio, aggreſſus unquam eſt facere. Sanctorum exemplis mirum in modum delectabatur. Eorum res præclare geſtas imitari ſtudebat maxime. Thomæ Cantua-

tuarienſis, et Ambroſij admirabilem conſtantiam in defendenda Eccleſiaſtica iuriſdictione imitatus, varias multorum voces, quibus interdum vir optimus lacerabatur, non audiebat. beatum potius ſe putabat cum maledicerent illi homines, cum illum inexorabilem, et parum cautum, rebus ſuis, ſuorumq; commodis minime conſulentem, nominarent. Ad illum acceſſerunt conſanguinei in eadem, qua ipſe natus Borromeorum familia, rogauerunt Cardinalem per illum ipſum Deum, qui eorum familiam diuitijs, & ſplendoris titulis ornauit, ne ad iracundiam inſolita ſua ſeueritate Philippum Regem, in cuius poteſtate Mediolanenſes ſunt, prouocet. Secundum Deum, reſpondit. Philippo ſe debere omnia. illum catholicum & de Chriſtiana Repub. optime meritum Regem agnoſcere, & debitis honoribus proſequi. Scire Philippum minime probare, quæ nonnulli eius nomine tanta diligentia curant. Regis Regum Chriſti iuſſa in animo impreſſa habere. A Deo ipſi commiſſum eſſe animarum curam. In partem ſollicitudinis Eccleſiæ ſponſæ ſuæ à Ieſu Chriſto per eius Vicarium Romanum Pontificem eſſe

voca-

vocatum. Muneris ſui obliuiſci non poſſe. illos qui pro Rege Philippo Mediolani imperant præſidia Aronam mitterent. facerent quod ſibi magis placeret: ſe velle magis parere Deo, quam hominibus. His verbis, & alijs magna cum animi lenitate conſanguineos ſuos in officio continebat, ita vt nec illi contradicere amplius auderent, et hæc animi magnitudo, & rerum externarum contemptus magnam ipſi augebant auctoritatem; peruerſumq́ morem huius ſæculi mirum in modum damnabat, qui increbuit, vt Paſtores nonnulli turpiter adulentur Regibus & Principibus, neq; ad Dei præſcriptum, ſed ad hominum gratiam ſe accommodent non minimo cum piorum hominum dolore. Et eandem animi fortitudinem præſetulerat Cardinalis, cum pro iure ſuo tuendo Canonicos Scalenſes viſitandos, inuitos etiam ſtatuerit: quo in munere tractando periculo etiam mortis ſe expoſuiſſe viſus eſt. Vitam hanc plenam ærumnis, varijs periculis expoſitam. Lachrimabile exilium: moleſtam peregrinationem cur tanti faceret vir ſapiens? cur tantopere amemus mortales. miniſtri in primis Dei Epiſcopi, vt

vitia extirpare negligamus. indulgentes ſimus, vt noſtra indulgentia, quæ diſciplinæ nouerca eſt, gregem Chriſti perdamus? Et inciderat (vt dixi) in dies magis ob admirabilem animi conſtantiam, & mortis contemptum Cardinalis Ampliſſimus in plurimorum maledicentias, res Eccleſiaſticas carnalis prudentiæ regulis diffinientium. Sed profectò non bona magiſtra eſt mortalium multitudo; & illi qui prudentiores habentur, & fallunt, & falluntur ſæpiſſime. Studium viſitandi parochiales Eccleſias creſcebat in dies magis. plurimarum virtutum Cardinalis exempla dabat, peccandi occaſionem quanta maxima poterat diligentia fugiebat ipſe, & adimebat cæteris. Sic chorum inſtruxerat, vt nihil oculis omnium illuſtrius conſpici poſſet. Diuina officia. Horæ canonicæ tanta cum diligentia perſoluebantur, vt nihil accuratius inſtitui, aut obſeruari potuerit, & ſapienter vt omnia. Nam Prophetæ illud animo volutabat. Maledictus qui opus Dei facit negligenter. cum tanta ſit Dei bonitas, vt nos miſeros, exules, rebelles potius, qui eius perennem hoſtem Sathanam, pernicioſa nobis conſilia ſuggerentem,

ſequi-

ſequimur: ſi male acta vita nos pœniteat ad colloquium admittat, quanta eſt ſtultitia recuſare colloquia cum Deo, à quo bona omnia proficiſcuntur, non orare, cordis euagationibus, peccatis varijs contaminari, preces inutiliter fundere, rebus omnibus egentes, mendicos auxilium à Deo cœli, & terræ Domino non implorare, aut ſi aliquid conſuetudine quadam coacti et pudore ſuffuſi conſueuimus petere, tanquam aliud agentes, oſcitantes potius, quod non minimæ imprudentiæ indicium eſt petere. Et in ſtruenda Eccleſiaſtica diſciplina laudabilem quandam ſeueritatem adhibuit, vt de ea interdum aliqui canonici queri conſueuerit; integri enim dies feſti in concionibus audiendis, in proceſſionibus varijs in Eccleſia conſumebantur. Nihil apparatu Eccleſiaſtico ornatius, aut magnificentius. In concionatoribus deligendis mirum ſtudium adhibebat. Ipſe concionatoris munere paterno quodam dicendi genere fungebatur, & interdum bis in die ſermonem habebat. Nimiam illam diligentiam aliqui nominabant. At in Carolo Archiepiſcopo, vt variæ, et præſtantes virtutes fuerunt, ita hac in primis

præ-

præſtitit, quòd curioſorum hominum, ne dicam vanorum, qui aulici immeritò nuncupari ſolent, voculas contempſit. Non quid plurimi de ſe dicerent, ſed quid ab ipſo faciendum eſſet, vt diuinæ legi obtemperaret, ſtudebat. Et baccanalibus diebus præclariſſimam inuenerat rationem, qua populus deſineret inſanire. Nam diebus feſtis hymni in Eccleſia canebantur. Muſica tota plebs recreabatur. cunctis quibuſdam ſermonibus breuibus, iaculatoria quadam oratione mentes in cœlum erigebantur. Sanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum miniſtrabat ipſe frequentius, eo tempore illud etiam per totam Eccleſiam manibus ſuis portare conſueuerat, ita vt tunc maxime aduerſus Sathanam eo tempore pugnaretur. Huiuſmodi erant ſancti Chryſoſtomi, et veterum Epiſcoporum pij, & laudabiles conatus. Nam, vt eſt militia tota vita hominis, ita præſtantior, & illuſtrior eſt militia vita Epiſcopi, cum ſingulis momentis ipſi pugnandum ſit aduerſus Sathanam, Mundum, et carnem, ſectatoresq; Sathanæ, filios huius ſæculi, & prudentia carnis abundantes, quorum infinitus eſt numerus. Quam pugnam, vt ſtrenuus

Chri-

Chriſti miles, inibat Carolus, atque in pugna ſemper apparebat alacrior. Et in grauioribus negotijs piorum hominum conſilium adhibebat. Congregationes non paucas prudentum, & religioſorum hominum inſtituerat, quorum iudicio nobiliſsimam illam Eccleſiam gubernabat, et Mediolanenſis populi commodis conſulebat, ita vt omnium generum miſeris hominibus ſuccurreret, peccata exterminari conaretur, occaſiones etiam peccandi auferret. Verum cum nulla poſsit excogitari maior miſeria, quàm Chriſtianæ diſciplinæ ignorantia. Scholas quàm plurimas, quibus ſeparatim pueri à puellis in Chriſtianæ doctrinæ rudimentis informarentur, inſtituit, quas ipſe frequentare conſueuerat: in quibus ſæpe paternos ſermones habebat. Centum & viginti ſcholas puerorum circiter, itidem centum puellarum diebus feſtis frequentabantur. Quidam è plebe pij homines, eleganti, & pia metaphora ſumpta ab Apoſtolis, piſcatores nominabantur, qui pueros ad ſanctam, & ſalutarem illam diſciplinam quodammodo impellerēt, & uarijs ſæculi, et iuuenilis ætatis fluctibus agitatos, ſpirituali piſcatione caperent, et ad ſa-

lutis

lutis portum redigere conarentur. Et pij homines quàm plurimi, aliqui liberali mercaturæ dediti, nonnulli etiam nobili genere orti, nobiliſsimam artem inſtituendi pueros in Chriſtiana doctrina diebus feſtis exercebant. Singulis ſcholis præfectos conſtituebat. fœminas etiam pietate præſtantes, matronas nobiliſsimas ad rudimenta Chriſtiana docenda ex eius præſcripto pijs libellis excitare non deſinebat, tantusq́ ordo in re tàm præclara, & tàm ſalutari eſt adhibitus, vt Spiritu Sancto Magiſtro Mediolani ſingulis diebus in Chriſtiana pietate proficeretur magis, vocesq́ Angelicæ diuinas laudes concinentes diebus feſtis totam exhilararent Vrbem. Et ipſe Caroli Archiepiſcopi viſendi cauſa Mediolanum quinquies acceſſeram, multo magis vt ad Veronenſem gregem paſcendum redirem inſtructior: cum eodem Cardinali in illis ſcholis fueram. Et nullum diem, horam potius nullam prætermittebat Carolus, quin de Dei gloria, & de Eccleſiaſtica diſciplina excolenda, cogitaret. Seminarium centum & viginti amplius puerorum inſtituerat. ædes commodas admodum, & honorificas ædificandas illi curauerat;

rauerat; progreſſus in dies maiores in literis, & in Eccleſiaſticis moribus fiebant. Viſitabat ipſe ſæpe clericos, paterna quadam charitate illos complectebatur, nominatim ad omnes labores perferendos pro honore Dei illos excitabat, filios ſæpe appellans. Et dum ipſe prandebat religioſos viros imitatus, qui in vnum coacti, corpus ſuum conſueuerunt reficere cibo modico, ſingulis diebus feſtis ſeminarij ſui clericos aliquam ſacroſancti Euangelij partem explicantes, & ex alto loco concionem habentes audiebat. Juſſerat etiam, vt interdum latino vterentur ſermone. exercitatio illa dicendi facultatem pariebat, et clericos in muneris paſtoralis præcipua parte erudiebat. Sic enim Sanctus Spiritus (vt antea attigimus) in Tridentino Concilio declarauit. Præcipuum munus Epiſcopi eſſe, itidem parochorum populos docere. Et non vno Seminario clericorum ampliſſimo vir Dei contentus fuit, ſed plura inſtituit. nam clericos adultos, qui in literis progreſſus non fecerunt in vnum locum cogendos decreuit, vt gubernandarum animarum artem ediſcerent, & mediocri Eccleſiaſticarum rerum cognitione imbuti,

buti, in Eccleſiaſticis moribus inſtituti ad regendas parochias idonei efficerentur. Ex huiuſmodi ſeminario fructus vberiores ad Mediolanenſem adminiſtrandam Eccleſiam redundare, quàm ex ſeminario ipſo aliquando dicere conſueuerat. Et collegium Papiæ, quod Borromeorum nuncupatum erexit, quod magnificis ſumptibus ædificandum curauit; vt in eo è Mediolanenſibus, et Papienſibus ciuibus præclara in optimis diſciplinis in Chriſtiana in primis pietate educarentur. Et Heluetijs paterna cura proſpexit diligentiſsimus Paſtor. Et ſeminarium itidem ad nationis illius vſum erexit. Nobilibus item pueris, vt parentum indulgentiæ, illorum itidem qui parentibus eſſent orbati, commodis proſpiceret, mira ſolertia conſtruxit, cuius exemplo deinceps alia nobilium puerorum ſunt inſtituta collegia. Et fuit ab eodem Carolo Cardinale Oblatorum Collegium inſtitutum Sacerdotum non paucorum, qui vouerent ſuo Archiepiſcopo, & eius ſucceſſoribus ſe obtemperaturos, animarum curam ſine vlla cunctatione quando Archiepiſcopo ita videretur, ſe accepturos, nulla tenuitatis parochiæ, aut loci difficultatis

ratione

ratione habita. Ad quod Collegium cum non ſemel Cardinalis iuſſu acceſſiſſem, & Epiſcopus, & proxime etiam Cardinalis, diſciplina Eccleſiaſtica, quæ illo in Collegio maxime floret, & piorum ſacerdotum laudabiliſſimis moribus, & eruditione varia ſum incredibiliter delectatus. Vt paucis dicamus. Nulli hominum generi, nulli ſexui, nulli ætati, nulli humanæ miſeriæ vir pius Mediolani non conſultum eſſe voluit. Nam et expoſitis infantibus, & varijs affectis morbis, & mente captis maxima adiumenta comparauit: & virginibus fœminis ad earum tuendam honeſtatem prouidit, & illis, quæ corruptæ fuiſſent, vt in viam poſſent redire, proſpexit; & deuotis fœminis, quæ capucinæ nominantur, quas in eam Ciuitatem primus introduxit, ad vitam Angelicam (vt ita dicam) traducendam, ſanctiſſimi inſtituti regulis, omniq; religioſa diſciplina, optime conſuluit. Sodalitates uerò pias, hortationibus uarijs, præceptis itidem ſalutaribus ita ſtabiliuit, & auxit, ut Mediolanum ſchola quædam Spiritus Sancti, et pietatis, omniumq; uirtutum ueluti officina, cæleſtis patriæ quidam angulus dici potuit. Sic enim

 inter-

interdum diebus feſtis innumerabiles puerorum, & puellarum voces emittebantur, ſuauiter canentium, & laudantium Deum, vt Angelorum chori repreſentari viderentur: et eadem diligentia parochialibus Eccleſijs extra Ciuitatem, et q̃ plurimis oppidis Mediolanenſis diœceſis conſulebat. Viſitatores ſexaginta, & amplius delegit, præmittebat aliquos quò ipſe poſtea eſſet venturus populos ſermone conſolabatur, miniſtrabat ipſe ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramentum: ſancto etiam Chriſmate vngebat: controuerſias tollere, & multorum animos pacificare ſtudebat: diſciplinã Eccleſiaſticam in ſingulis Eccleſijs excolendam eſſe iubebat. Dei cultum tum interiorem, tum exteriorem magna diligentia promouebat. Dum hæc ageret, & animabus Chriſto lucrandis admodum eſſet intentus, ieiunijs corpus ſuum caſtigare non deſinebat. aſſiduis precibus mentem eleuabat, & ſanctis cum Deo colloquijs in huius mundi deſpicientia, quæ veram conſequitur prudentiam in dies magis proficiebat. Et quotidie magis in virtutibus ſingulis magnos progreſſus faciebat Carolus Cardinalis Mediolanenſis Archie-

piſcopus

piſcopus. Illum Paſtorem optimum ſancti Ambroſij imitatorem, nouum potius Ambroſium appellare quàm plurimi non deſinebant. Nos vicini Epiſcopi illum admirari, quia cuſtodiebat legem excelſi, quia ſuper nos ſenes intelligeret, quia mandata Dei maxime omniũ quæreret: eius exemplo, ſtimulos potius excitati ſæpe ſumus ad labores omnes perferendos, & ad artem paſcendarum animarum, artem omnium artium, vt recte Nazianzenus, et poſt eum ſanctiſſimus dicebat Gregorius, perdiſcendam atque etiam exercendam.

Et quia excellentis virtutis inimica perpetua eſt Inuidia non defuerunt, qui homini varijs virtutibus ornato, angelicis moribus potius, qui nunquam iratus eſt viſus, qui ne verbo quidem quempiam vnquam offendit, interdũ detraherent; quippe (vt ipſi dicebant) rebus in minimis interdum nimium ſtudium collocaret. Abſtinentiam virtutem eximiam, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtodem nimium coleret; ita conſueuit Sathanæ hipodidaſcalus mundus, qui nihil non molitur, vt ſanctorum hominũ optimas ſententias, et præclara inſtituta quantum in ſe eſt euertat. At pius vir cum excellen-

cellentibus virtutibus ſuis miram conſtantiam addidiſſet, id eſt conſecutus, vt varias hominum voculas contemneret, & omnium inuidiam ſuperaret. Et profectò diuinis quibuſdam inditijs à ſumma rei prouidentia, quæ nec fallitur, nec fallit vnquam, manantibus creditum eſt Carolum fuiſſe præcipuo quodam amore à Deo dilectum, & in huius vitæ periculoſo certamine diuino auxilio adiutum. Nam cum pro extirpandis vitijs, & honore Dei, quem ſemper ante oculos habuit tuendo Congregationem Humiliatorum reformandã ſibi in animum induxiſſet, ad quod munus ab auunculo Pio IV. ab eius itidem ſucceſſore Pio V. fuerat delectus, ex illis neſcio qui Præpoſiti, qui iuſtiſsimi hominis Congregationis illius ſalutem ſpectantis, paulo arctiorem diſciplinam ferre non poterant, in ſeruum Dei, in benemeritum de ſe virum, in Archiepiſcopũ & Cardinalem, odio implacabili exarſerunt, eumq́; diabolico quodam furore incenſi, è medio tollere decreuerunt. Vnus igitur inuentus eſt homo audaciſsimus, qui ſcelus deteſtabile aggredi non dubitaret; itaq; quo tempore ex domeſticæ diſciplinæ inſtituto Carolus in

oratorio cum tota ſua familia ad Deum preces fundebat, paruulo tormento diſploſo, in quod globulos plumbeos, aut ferreos complures coniecerat, Carolum vt erat genuflexus, & in oratione defixus, medio ipſo in tergo directo percuſſit. Sed ſceleratorum hominum machinationes planè Sathanicas euertit Deus, & ſeruum ſuum ſcuto quodam inuiſibili protexit. nam etſi maioris globi ictus ille vſq; ad cutem penetrauit, ibiq; liuoris notam quandam impreſſit, quæ in eius dorſo ad miraculi teſtificationem, vſq; ad vitæ finem permanſit, nihil tamen nocuit viro ſancto, ac ne ſanguinis quidem guttulam elicuit. ipſe vero ita immobilis permanſit, ac ſi in alieno corpore verberatus eſſet, ſilentioq; indicto, ne quis ſe commoueret, incœptum cum Deo colloquium admirabili fidei conſtantia, et animi fortitudine abſoluit. Et in ſacris templis ædificandis, & ornandis magnificentia, & in Epiſcopalibus ædibus augendis ſtudium, & miram in hoſpitibus excipiendis alacritatem, & liberalitatem, eleemoſinarum copiam, quibus omnium generum inopes iuuabat, ſi quis enumeret, laudationem inſtituat neceſſe eſt; Tanta & tam magna

virtutis

virtutis exempla dedit Carolus, quæ ita patent, ita omnibus cognita, & perſpecta ſunt, vt nec mea, nec cuiuſquam commemoratione indigeant. Erga ſacras ſanctorum reliquias mirifica quadam religione affectus erat Carolus Cardinalis, in ijsq; ornandis, honeſto, decenti, illuſtri loco collocandis, magnopere verſabatur, itaq; multa Sanctorum corpora ſolemnibus ſupplicationibus indictis multo cum ſplendore, & pietate tranſtulit, ſed profectò eximiam quandam liberalitatem, aut magnificentiam potius cum admirabili pietate coniunxit, cum corpora ſanctorum Simpliciani Epiſcopi, & martyrum Anaunienſium Siſinij, Martyrij, et Alexandri illuſtriorem in locum, in illa ipſa ſancti Simpliciani Eccleſia cenſuit, transferenda. Nihil quicquam fuit magnificentius, nihil quod ad alendum Dei cultum, & ad ſanctarum reliquiarum, ſanctorumq; corporum venerationem hac ætate magis inflammaret. Jnterfuerat illi tranſlationi Gabriel Cardinalis Paleotus, qui ad Clerum Mediolanenſem occaſione ſynodi diœceſanæ, quæ celebrabatur grauiſſimam, & elegantiſſimam orationem habuerat. Interfuerant

plures

plures Epiſcopi. Ipſe etiam fueram inuitatus, ſed occupationibus varijs impeditus, tam nobili ſpectaculo, in quo tota commota eſt Mediolanenſis Ciuitas, præſens eſſe non potui. Et vt ad quædam præcipua capita Caroli optimi Cardinalis vitam redigam. De eius mortis contemptu. De eius charitate erga morientes. De perpetuo ſtudio ſacrarum literarum. Deq; aſſiduis eius precibus ad Deum. De admirandaq; ſobrietate, & caſtigatione corporis ſingillatim dicam, breuiter tamen, quia ſcio hæc etiam ab alijs copioſius eſſe tractanda, & quia illa tantum mihi narranda eſſe exiſtimo, quæ mihi notiſſima ſunt, quæ ipſe vidi, quæ obſeruaui cum optimi Cardinalis conſuetudine fruerer. Nulla de re maiore cum animi ſenſu loquebatur, quàm de morte, peregrinatione, exilio. Mortem, peregrinationem & exilium hanc vitam, quam tantopere mortales exoptant, putabat. Iactari varijs nos fluctibus, innumerabilibus perturbationibus commemorabat. peccandi terminum & optabilem quandam ſecuritatem mortem nominabat. In ea mali nihil ineſſe. In peccato ſitam eſſe hominum perniciem. Locos,

 quos

quos ſanctus in libello de bono mortis tractabat Ambroſius, valde cognitos habebat. tractabat etiam ſæpe in familiaribus ſermonibus. Addebat turpiſſimum eſſe Chriſtianis miſerā hanc, & caducam vitam perdite amantibus ſuperari prudentia, et fortitudine animi à philoſophis, præſertim ab Epicteto, à Seneca, & à Cicerone, qui de morte contemnenda pulcherrimos libros conſcripſerunt, & præclariſſimas ſententias ad abijciendum omnem mortis timorem in medium attulerunt. Rem minime vſitatam, & admiratione dignam narro. Dixerat mihi ſæpe Carolus Cardinalis in familiaribus ſermonibus hilari admodum vultu, ſibi nihil quicquam accidere poſſe in hac vita iucundius, & vtilius, quàm ſi hac, & illac negotiorum cauſa tranſiens, in cadauera, quæ ad ſepulturam deferebantur, incideret. Inde ſe maximum fructum capere dicebat. Secum enim ipſe ſic loqui conſueuerat. Et me etiam quatuor, aut quinque cubiti terræ manent, & ipſe in illo loculo deferar. Hic eſt fabulæ huius mundi, ſeu vanitatum omnium, quibus ſæpe à recto tramite deflectimur, terminus. Multo aliter plerique noſtrum, qui

mor-

mortem horrentes cadauera maxime fugimus, & à meditatione mortis valde abhorremus. Jllam enim meditationem mortis, quã philoſophiam philoſophi nominarunt: & nos non minimæ ſapientiæ Chriſtianæ partem dicimus, melancholiæ nutricem, molliter nimium, ne dicam inſipienter, non pauci arbitramur: in quos homines ſi aliquando incidebat Carolus, eos libere monere ſolitus erat. Et erga morientes beneuolentiam incredibilem, admirandam potius charitatem Carolus Cardinalis præſtulit. Cum enim ipſi de Coepiſcoporum ſuorum ægritudine nuntius afferretur, citatis equis ad illos accurrere conſueuerat, ſermone illos blando, & fraterno, ad pœnitentiam inuitans, de æterna vita, de cœleſti patria. de Ieſu Chriſti filij Dei Saluatoris noſtri meritis. de precioſiſſimo eius ſanguine, cuius precio redempti ſumus. de ſalutari pœnitentia. de infinita Dei miſericordia locos tractabat tanta cum pietate, vt illorum, qui intererant lachrimas eliceret: ipſe ego etiam interfui cum pium hoc officium Ioanni Delphino Epiſcopo Brixienſi, qui proximis annis ex hac vita migrauit præſtaret, & paulo ante quàm ex

 hac

hac vita excederet Franciſco Boßio viro integerrimo Nouariæ Epiſcopo idem officium ex præſcripto Concilij prouincialis Carolus pie, & fraterne præſtitit, pauloq́; ipſe poſt in grauiſsimum morbum incidit, quem mors conſecuta eſt, hoc eſt tranſitus ad beatam, et æternam vitam. Nec ſolum paternis, & pijs illis ſermonibus languentes Epiſcopos, quos viſitabat recreare ſolebat, ſed cum deficere vires cerneret, genuflexus pro ægris preces fundebat, eorum animas Deo commendabat, demum eorum exequias, ſermone ad populum habito celebrabat. Et hæc omnia magna temporis celeritate conficiebat. Nec vero Epiſcopos ſolum, ſed cæteros etiam, & principes viros, & priuatæ conditionis homines ægrotos viſitabat, omniq́; officio, et pietate maxime neceſſario tempore adiuuabat. ægrotabat aliquando Vercellis Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ adoleſcens religioſiſsimus, & Regiæ indolis, quem Carolus Cardinalis filij loco diligebat, & graui plane morbo conflictabatur, nec quicquam magis cupiebat, quàm ſeruum Dei videre, quem ſingulari amore proſequebatur. Accurrit Carolus. manu ſua ſacroſanctam

illi Euchariſtiam miniſtrat, verbis grauiſſimis, & ſpirituali dulcedine plenis, & hortatur, & conſolatur, ita vt qui aderant lachrimas copioſe effunderent, cum interea Dux ipſe nuſquam ab eo oculos deflecteret. deniq; Dei benignitate, &, vt ipſe Dux interpretabatur, Caroli precibus factum eſt, vt adoleſcens ſummæ ſpei, & Princeps nobiliſſimus conualeſceret, & in maximarum rerum ſpem ad Dei gloriam, & catholicæ religionis conſeruationem reſeruaretur. ſi laudationem ipſe ſcriberem, locum hunc de ægrotorum viſitatione rationibus plurimis exornandum mihi eſſe intelligerem; ſed vitam tantum Ampliſſimi Cardinalis ſcribo. mores pios, & verè paſtorales propono mihi, et Epiſcopis omnibus, in quos hæc mea ſcriptio fortaſſe inciderit. Et hanc eandem charitatem erga moribundos Mediolanenſes filios ſuos quos cœleſtis Pater eius fidei commiſerat, dum ſæuiſſimo peſtilentiæ morbo infecti laborarent, quos nunquã mortis metu intermiſit viſere, quibus ſemper lue craſſante (trecenti enim homines ſingulis diebus per multos dies ſæuitia morbi interibant) ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſacramentum

mini-

miniſtrabat, & pios viros ad idem munus præſtandum hortari non deſinebat. calamitoſo tempore orandi regulas populo præſcripſerat. diuinum auxilium implorabatur. ipſe nudis pedibus fune eius collo circumducto orabat. Supplicationes publicæ fiebant, longos & graues ſermones ad populum tanta calamitate afflictum habebat. Non Mediolanum modo, ſed vniuerſa Italia, totus terrarum orbis eximiam Paſtoris charitatem eſt admiratus. Tantam virtutem nulla vnquam obſcurabit obliuio, de qua, & ſermones ſunt habiti, & libelli etiam ſunt ſcripti. Inſipiens ſæculum, carnalis, & adulterina prudentia, cuius magiſter eſt, quomodo imbecillos animos plerunq; decipit. Non defuerunt qui dicerent non debuiſſe Cardinalem tot ſe exponere vitæ periculis. & potuit (Deo iuuante) & debuit, cum nihil poſsit eſſe anima vna pretioſius, & ad Paſtorem pertineat animarum, animã ſuam ponere pro ouibus ſuis. ſe exponere periculis omnibus, imitari Chriſtum paſtorum Principem, & ſalutem animarum ſibi creditarum ſuæ vitæ præferre, ita charitatis ordo poſtulabat. piam, & vere paſtoralem hanc regu-

lam comprobauit Dominus Deus euentu fœlici, cum illum incolumen ſeruauerit. Et ſane protrahendæ vitæ deſiderium vitiorum non paucorum; & calamitatum multarum origo eſt, & ſtultitiæ non minimum inditium. Quis enim longa, & periculoſa nauigatione, in qua nauis varijs turbinibus ſæpe iactetur, nauſeabundi plerunq; nauigantes omnia faſtidiunt, delectetur? Quis in exilio ita deſipiat, vt de patria non cogitet? Incommodo etiam diuerticulo, in quo multi ſceleſti homines cohabitent, libenter maneat? Plerique mortales ſumus huiuſmodi, et vitam hanc laboribus, et ærumnis plenam, non amantes, non magno ſtudio protrahere procurantes, tantum abeſt vt laudemus, vt irrideamus potius. Et reprehenſiones hominum pernitioſa prudentia omnia metientium, & res fluxas, & caducas admirantium, Vitam inprimis protrahere ſtudentium non magni faciebat Carolus. Vias non eſſe vias hominum. falſas eſſe huiuſmodi regulas, mera potius Sathanæ ſophiſmata, dicere conſueuerat. Quare de morte ſæpe longos ſermones habebat, et graues. De varijs huius vitæ miſerijs multa in medium afferebat, vt

æternæ

æternæ patriæ deſiderium mirabiliter excitaret. Jn ſacris libris. in vera ſapientia. qui liber librorum, quem Spiritus Sanctus in veteri, & nouo Teſtamento deſcripſit, aſsidue verſabatur. Et ita orationem cum lectione, Thomã Aquinatem ſanctiſsimorum uirorum doctiſsimum imitatus, coniungebat ſex annos antequam ex hac uita migraret, ut nunquam niſi genuflexus ſacroſanctum illum librum perlegeret. Et in prophetis, quos cæleſtes oratores appellauerimus multum ac diu fuerat uerſatus. Præcipuos locos ex Salomone excerpſerat, & ad uſum in quàm plurimis ſermonibus reuocare ſolebat. Si quis eruditionem uariam, & reconditam in Carolo Cardinali Borromeo non animaduertit, aut eius conſuetudine non eſt uſus, aut non conſiderauit, quæ ipſe in medium afferre conſueuerat. Nihil extra rem. Nullum ineptum uerbum. Nullum quod cuiuſquam animum poſſet offendere. Annorum multorum, quibus eius conſuetudine ſum uſus ſpatio, à Carolo memini eſſe prolatum. potuiſſet ſi uoluiſſet Latine ſcribere, ſatis elegan ter, prompte enim, & diſerte ſatis loquebatur Latine, potuiſſet etiam hac qua utimur lingua,

gua, ſed in ſcribendo aliorum opera libentius vtebatur; adhibebat tamen ſemper iudicium, quod tantum in corrigendis ſcriptionibus adhibere erat ſolitus, vt præſtantes ingenio, & doctrina viros in admirationem traheret. Et prouincialia Concilia, & hortatoriæ ſiue paſtorales epiſtolæ, quas ad populum Mediolanenſem ſæpe ſcribebat, & ſub eius nomine edebantur, ab ipſo accuratiſſime emendabantur. Matrem eſſe ſapientiæ humilitatem recte dixerimus, vt ſapientiſſime indicaſſe videtur Salomon. Qui enim nihil ſibi tribuit, et neminem recuſat habere magiſtrum, quamuis etiam à natura præclarum non duxiſſet ingenium (quod aliter Carolo contigerat, qui excellens ingenium, & iudicium acre à natura habuerat) cum quotidie multa addiſcat, doctus euadat neceſſe eſt, tanta in primis, quanta Dei beneficio abundamus hac tempeſtate, bonorum librorum ſuppellectile adiutus. Et domus Caroli, et dum Pius auunculus viueret, & dum Mediolani paſtorali ſuo munere fungeretur fuit ſchola pietatis, Eccleſiaſtica, & ſancta quædam Academia, officina demum virtutum omnium, piorum & doctorum

G hom-

hominum contubernium; Et ordinem, qui eſt rerum veluti anima, & in artibus, & ſcientijs perdiſcendis, memoriæ commendandis artium & ſcientiarum præceptis, mirabiliter prodeſt, mirabilem in ſtudijs ſuis adhibuit. Capita rerum, de quibus erat acturus partiri conſueuerat, & ita diſtinguere, vt facilè illa memoriæ mandaret, quam diuidendi methodum miris laudibus extulit Plato, & eos, qui ita norunt diuidere, Deo quàm ſimillimos dixit. Innumerabiles ſynopſes, ſiue tabulas, quibus tractationes de ſymbolo fidei, de decem præceptis, de ſacramentis, de oratione Dominica, de paßione Domini, deq; ſingulis ſacroſanctis myſterijs, ita in omnes ſolemnitates, in omnia etiam Euangelia, quæ diebus feſtis recitantur, in Epiſtolas S. Pauli confecit; quæ ſi vnum in librum redigantur, & in locos quoſdam à Paſtoribus tractandos referantur, magnam profectò vtilitatem Epiſcopi, et Parochi, & quicunq; verbum Dei prædicare conſueuerunt, ex eius induſtria percipient. Solidam, non negamus, doctrinam tradiderunt Theologi ſcholaſtici: in quibus qui non ſunt verſati hoc tempore, ne mediocriter quidem

docti

docti haberi ſolent. Et hoc ipſum dicere ſæpe ſolebat Carolus, qui pro ſua modeſtia inter doctos numerari ſemper recuſauit, nullam ſe ſcientiam tenere dicebat, cum tamen ſcientiarum omnium principia, & præcipua etiam dogmata theologiæ, & moralis etiam philoſophiæ optime teneret, vt nemo de quæſtionibus etiam difficillimis maiore verborũ caſtimonia loqueretur. Aloyſium Granatam plurimi faciebat, eiusq́ libros diligentiſſime legere conſueuerat. locos ex eius concionibus, et opuſculis ſibi conſtituerat, quibus copioſe ex improuiſo etiam Euangelium, Epiſtolam, Miſſæ introitum, aut aliquos pſalmorum verſiculos poſſet explicare. Et non ſolum ex Granata, ſed ex ſanctis Patribus plurimos locos ſibi collegerat. Quo eius labore factum eſt, vt facillime tres aut quatuor ſermones vno die ad populum habere poſſet, cum fere nihil repeteret. Synopſes quàm plurimas, commentarios itidem varios, & multos, è quibus ſylua quædam paſtoralis in vnum volumen redigi facile poterit, teſtamento reliquit Joanni Franciſco Bonhomineo Vercellenſi Epiſcopo, cuius pietate, & induſtria fiet aliquando, vt ex opti-

mi Cardinalis laboribus ab Eccleſiaſticis hominibus fructus percipiantur. Et Patri Franciſco Adorno præcipuos quoſdam locos digerendos paulo ante quam ex hac vita migraret, tradidit. Dederat mihi commentarium quendam, quẽ de arte meditandi duos annos ante quam moreretur conſcripſit, qui profecto breuitate, et perſpicuitate, grauitate etiam ſententiarum dignus eſt, qui in piorum virorum manibus verſetur.

Nihil magis acuit ingenium: Nihil ad præſtantiam iudicij comparandam magis prodeſt, quàm aſsidua oratio, vt multi putauerint admiranda opera, quæ ſanctus Thomas Aquinas monumentis literarum conſignauit oratione potius, quàm laboribus, quos pertuliſſet in euoluendis libris, accepta eſſe referenda. Et ſanctorum Epiſcoporum, qui Eccleſiam Dei illuſtrarunt hic fuit mos, vt cum aſsiduis precibus lectionem optimorum librorum coniungerent, quod et noſtro hoc ſæculo nemo præſtitit diligẽtius, q̃ Carolus. Incõmode admodum ſomnum capere conſueuerat, & breuem quidem illum, nimirum quòd agnoſceret mortis imaginem ſomnum eſſe, & quandiu dormiunt homi-

homines, mortuos dici aliqua ratione poſſe, quia nihil homine dignum agunt: ipſe vero in diuinarum ſcripturarum lectione, in oratione, et meditatione, et diutiſſime verſari cupiebat, & noctis tempus ad id maxime accommodatum eſſe intelligebat, & quidem corpus domeſticum inimicum, vigilijs edomare ſtudebat; eam ob cauſam ſæpe contingebat, vt dum Carolus concionibus intereſſet, aut alijs publicis functionibus, ſomnus illum caperet, quod ne fieret, quamuis maximam diligentiam adhibuerit, conſequi tamen ſemper non potuit, vt natura remiſſionem illam, & quietem efflagitante, non ſæpe dormitare non cogeretur: erat tamen huiuſmodi ſomnus breuis, & admodũ interruptus, ita vt etiam quæ dicebantur magna ex parte perciperet. ſic, ita diſponente Domino Deo, naui quidam in eis, quos præcipuo amore diligit conſpiciuntur. qua de re præclare à ſancto Gregorio in 3. dialogorum libro ſcriptum eſt, magna Dei diſpenſatione fieri, vt quibus maiora bona tribuit, minora interdum non præſtet; nimirum ne ſe extollant, ſed diſcant, quia ex ſemetipſis maiora illa bona non habent, qui parua vitia vincere

non

non poſſunt.

Et ſobrietatem quandam admirabilem præ ſe tulit, cum in ſatis opulenta domo educatus, delicatis etiam cibis aſſuetus, tantos progreſſus in præſtantiſſima virtute fecit, vt tres annos antequam ex hac vita migrauit pane & aqua ſæpiſſime contentus fuerit. Sane altrix maximarum virtutum eſt ſobrietas. Contemplationis, & orationis ſedula nutrix. digna Epiſcopo. digna animarum Paſtore, & Chriſti imitatore, laus. Et fuerunt, qui ſanctum Cardinalis propoſitum non laudarent. cur ita? quia inſano amore nos pleriq; noſtrum diligentes, corporis tyrannidem non agnoſcimus, nec extimeſcimus. Nihil nobis magis eſt curæ, quàm vt miſeriјs, & ærumnis multis plenam hanc vitam ſine vlla vel minima moleſtia tranſigamus, plane cæci, et patriæ noſtræ cœleſtis illius Hieruſalem (heu nimium) miſerabiliter obliti. Profectò paucis vel minimis natura contenta eſt. Et S. Baſilius pane, & aqua contentus fuerat, & innumerabiles alij Epiſcopi, quos qui eſt imitatus reprehendi minime debuit, laudari potius. Nos verò qui à tanta virtute procul abſumus, ſobrietatem

exi-

eximiam paſtoris, quem vidimus, cuius familiaritate etiam ſumus vſi, non ſemper recordari non debemus, vt tantæ virtutis memoria ſit nobis veluti ſtimulus ad omnem luxũ fugiendum, & ad omnes omnium generum cibi, & potus delicias vitandas: Variorum enim ciborum copiam, & vſum vini immoderatum, Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & paſtoralis artis corruptorem, et inimicum iure nuncupauerimus; parere etiam hanc copiam inuidiam, et inertiam alere affirmauerimus. Quod ſi quis Epiſcopalem ſplendorem, aut Cardinalitium obijciat, et addat; tenacitatis, ne dicam auaritiæ ſuſpitionem vitandam; is ſciat Carolo ſobrietatis laude hac ætate inſigni, rationes varias non defuiſſe in hoſpitibus excipiendis, in pauperibus alendis, in templis ædificandis, quibus liberalitatem, magnificentiam etiam ſuam patefaceret, quanquam nec ipſe etiam Carolus dum Romæ fuit cuiquam vnquam obiecit, ſi moderatione adhibita omniũ generum cibis lautis, vino etiam ad ſobrietatis regulam vteretur.

Et corpus caſtigabat, verba illa S. Pauli Apoſtoli ponderans. Ne cum alijs prædicauerim,

ipſe

ipſe reprobus efficiar: quamuis ſi quis recte conſideret, multis rationibus probabilibus illis quidem adduci potuiſſet, vt quem ſocium multorum laborum, & præclariſsimarum rerum, quas gerebat nobiliſsima eius anima, habuerat et nunquam, aut perraro rebelle expertus fuerat, minus dure tractaret: medicorum etiam monita audiens, & valetudini conſulens. Sed ſancta Dei Eccleſia mira varietate virtutũ ornata, hoc indulgentiſsimo ſæculo, tali ſobrietatis, & caſtigationis corporis exemplo fortaſſe indigebat. huiuſmodi ſtimulo pleriq; noſtrum, vt tantæ molliciei, tantarumq́; delitiarum, quibus diffluimus, & inertes ad res cœleſtes contemplandas efficimur, indigebamus. Et viſitandos Epiſcopos, & cathedrales Eccleſias vtile admodum Eccleſiæ Dei cenſuit, hortatus ſæpe Pium, & Gregorium Pontifices, vt Viſitatores mitterentur. Ipſe viſitandi munus non recuſauit. Bergomum. Brixiam. Cremonam. partem etiam regionis Heluetiorum viſitauit, magno cum animarum fructu. pietatis, diligentiæ exempla dedit plurima: Inde congregatio Cardinalium, qui Epiſcoporum cauſas componere, qui diſcordias omnes è cleris tollere,

lere, qui Dei cultum interiorem, & exteriorem tueri & propagare nititur, inſtituta fuit. Frater Franciſcus Panigarola, & Pater Achylles Societatis Ieſu mira de illius ieiunijs, & de perpetuis laboribus, deq; admiratione, quam Rethi, et Heluetij cœperant ſanctitatis huius viri mihi dixerunt. Fuit etiam de illa viſitatione, quam proximo anno fecerat pulcher conſcriptus libellus. Et ſacris peregrinationibus vir Dei delectabatur, & ad ſanctum linteum venerandum, quo Saluatoris noſtri mortui corpus inuolutum eſt, Taurinum non ſemel pedibus etiam aliquando iter agens, profectus eſt. Sed & illa ſancta itinera, & extremum illud, quod vir Dei Carolus morti proximus ſuſceperat, vt ſacroſancta Dei myſteria in monte Varallo meditaretur, et ſanctas meditationes, quibus antequam ex hoc miſero ſæculo migraret, cum Angelis verſari incœperat, non defuerunt qui memoriæ commendarent, et narrarent pijs quibuſdam epiſtolis, & libellis. Et cum forti, et conſtanti animo, febri etiam correptus, mortem minime extimeſcens, pijs operibus intentus, de ſalute animarum ſollicitus paſtorali vſque ad

vltimam horam munere fungeretur, Sanctum Miſſæ ſacrificium celebrans, canonicas horas recitans; lytanias cantans; familiares ſuos, nautas etiam, à quibus quibuſdam in lembis vehebatur, in Chriſtianæ pietatis rudimentis, languente etiam corpore inſtituens. Et Mediolanum cum calendis Nouembris rediiſſet ferè ſemiuiuus, antequam medicum ad ſe admitteret genuflexus forti animo in oratorio cum familiaribus ſuis longam orationem habuit. Cumq; in lecto decubuiſſet, vt medicis, qui illum verſari in non minimo vitæ periculo affirmabant, obediret, eundem lectum ornandũ iuſſit imaginibus ſacris, in quibus Chriſti myſteria fuerant depicta, memoria in primis ſacri ſepulchri Domini noſtri Ieſu Chriſti. In ea cogitatione attentiſſime defixus, cum Eccleſiaſticis ſacramentis pie ſuſceptis, ad extremum illud certamen ſe optime armaſſet, placide in Domino obdormiuit.

Narrem, quæ optimi Paſtoris, & Cardinalis ampliſſimi mortem ſunt conſecuta? longiſſima futura eſſet ſcriptio. Commemorabo quædam, quæ ad honorem Dei maxime pertinent, & ad excitandos eos in quorum ma-

nus

nus libellus hic noſter perueniet, ad varias virtutes. Hæ audiebantur voces. Recens hic Ambroſius in cœlum vocatus eſt. Non eramus nos digni paſtore tanto. Solatio maximo deſtituti ſumus. Ea quæ de Athanaſio ſcripta ſunt, in hunc virum conueniunt, vt quamuis quàm plurimos annos poſt Beatum Marcum Alexandriæ in Epiſcopatu ſucceſſerit, ſi virtutes conſiderentur, illi proxime ſucceſſiſſe, quępiam iudicare poſſe. Ita quamuis Carolus mille amplius poſt annos in Eccleſia Mediolanenſi Ambroſio ſucceſſerit, proxime tamen ſucceſſiſſe, ſi imitationis ratio habeatur, quiſpiam dixerit. Nam Ambroſius nobilibus ortus parentibus, parentum nobilitatem, Chriſtiana contentus, non magnifecit: Ita Carolus. Satyri fratris mortem modeſtiſſime tulit: ſic Carolus Friderici fratris. liberalibus artibus inſtructus, et ſacris literis deditus docendi ſtudio incredibiliter eſt delectatus: eodem ſtudio ſacrarum literarum inflammatus Borromeus, cuius vitam ſcribimus. Mille inſidiæ à Iuſtina, & ab alijs ſceleſtis hominibus illi ſtructæ. Sæuientium in ſanctum virũ miſerabiles exitus; Eadem Carolo contigerũt,

qui ferreis globulis iniectis lædi minime potuit. Eius tempore hymni, antiphonæ cani cœpti ſunt: Borromei tempore, ſæuiente etiam peſtilentia, diuerſarum vocum concentus per totũ Mediolanum audiebantur. Potentes viros Eccleſiaſticæ diſciplinæ tuendæ cauſa excommunicauit; Idem non extimuit facere Carolus. Sanctorum Geruasij, & Protasij corpora tranſtulit. Hic Simpliciani, Siſinij, & aliorum. In maxima ſanctitatis opinione apud exteros fuit. Jn magna etiam Borromeus. Plurimæ Regum ad Ambroſium litteræ: Multæ etiam ad Carolum Hiſpaniæ, Galliæ, & Polloniæ Regum. Etenim ne hoc ſilentio prætereamus. Carolum Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ Clariſſimus tanti fecit, vt filio parentis loco eſſe voluerit. Illum Henricus Galliæ Rex Chriſtianiſſimus cum in Galliam rediret, ad ſe adeuntem humaniſſimè excepit, eiusq́; ſaluberrimis ſermonibus magnopere eſt delectatus. Illum Philippus Rex Catholicus ſummo in honore habuit. Illius virtutes Stephanus Rex Poloniæ ita eſt admiratus, vt cum Andream fratris filium adoleſcentem magnis animi, & corporis ornamentis

mentis

mentis præditum, qui nunc Cardinalis eſt, Romam mitteret, Mediolanum prius diuertere iuſſerit, vt Caroli diſciplina, & paternis cohortationibus inſtructior Romam iret. Et hunc quidem adoleſcentem præſtanti ingenio, & religione Carolus mirifice dilexit, cumq; viciſſim Andreas, vt parentem obſeruauit, nec alio, quàm patris nomine poſtea appellauit. Sed vt ad inſtitutam comparationem redeamus. Ieiunia Ambroſij crebra, & vigiliæ: Plurimis Carolus ieiunijs deditus. Orandi aſſiduitas; & Carolus ſingulis diebus orationẽ cum lectione ſacrorum librorum coniungebat. Sollicitudo itidem omnium Eccleſiarum: ſollicitus maxime de parochijs, quæ in latiſſima eius diœceſi ſunt. Amor admirabilis erga pauperes; & eleemoſinas Borromeus libenter diſtribuit. Alienatio prædiorum eorum cauſa; & hic vendidit ſuppellectilem omnem, veſtes etiam ſuas peſtilentiæ tempore, vt ſuccurreret pauperibus. Paupertatis itidem ſtudium: Et Carolus dum in ſuo cubiculo oraret, aut ſacræ lectioni incumberet, vnica veſte contentus, & ea quidem viliſſima, hyeme, & æſtate vtebatur. Idem Ambroſius peccata

alio-

aliorum acerbiſſime ſlere conſueuerat: & hic gregis ſui peccata lugere non deſinebat, luxum maxime. Dignitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſus, clericos à laicis in choro diſtinxit, & auctoritatem Eccleſiaſticam defendit Carolus. Mortem ſuam prædixit. Euchariſtiam paulo ante quàm e uita decederet ſuſcepit. Dum ad ſepulturam deſerebatur dæmoniacorum clamores plurimi auditi. eiuſdem corpus omnes tangebant. omnium ordinum homines ad ſepulchrum ipſum deducebant, & hæc omnia Carolo diuino beneficio contingerunt. Virtutes, quæ in Ambroſio fuerant (vt vno verbo dicam) in Carolo Borromeo mille amplius poſt annos, renouaſſe Dominum Deum qui hanc noſtram ſcriptionem legerit, et qui libellos varios, qui de ipſo conſcripti ſunt, euoluerint, facilius intelligent. Mirabilis eſt Dominus in ſanctis ſuis. Mirabilia ſunt opera eius. prædicanda dona eius.

Imitator hic egregius Ambroſij, qui nouus Ambroſius nominatus eſt Carolus teſtamento ſuppellectilem ſuam, & non magnam pecuniæ ſummam, quæ in œconomi manu eo tempore fuerat pauperibus Mediolani, qui in

magno illo hoſpitali pie ſuſtentantur, reliquit, nulla conſanguineorum ſuorum ratione, aut mentione habità, quandoquidem illos diuites valde; opulentos potius eſſe optime noſceret. Pauperibus, hoc eſt Chriſto; cuius membra ſunt pauperes, à quo maximis theſauris fuerat ditatus, cui animam ſuam dicauerat, ſuppellectilem ſuam omniaq́, quæ ſibi reliqua erant reſtituenda cenſuit, et ſapienter vt omnia. Vt mercaturam laudabiliſsimam quam ſanctus celebrat Chryſoſtomus, in ſuæ vitæ exitu exerceret. Mercaturam ſanctus ille vir appellat eleemoſinam, quam Sanctus Spiritus interdum ſanctam fœnerationem nominauit, cum ſcriptum ſit. Qui miſeretur pauperi fœneratur Deo.

Et vir optimus, & amicitiæ cultor egregius; qui me in amicorum ſuorum numero pro ſua humanitate ante viginti duos annos collocauerat, neſcio an me excitauit, an magno honore affecit. dicam vtrunq;, & ad paſtorales omnes virtutes me inflammauit, & maximo me affecit honore, cum imaginem ſancti Ambroſij, quem ſibi imitandum propoſuerat, et ad cuius ſcripta aſsidue legenda me ſæpe fuerat

hor-

hortatus, mihi teſtamento reliquit. quo donó, nihil mihi in mea vita iucundius futurum eſt. Erit mihi imago illa pulcherrime depicta ſtimulus perpetuus ad paſtorales, & eximias illas virtutes, quæ in ſanctiſsimo viro Ambroſio, & eius imitatore Carolo fuerunt, imitandas. Amicitiæ leges ſi quis alius ſeruauit, ſeruauit ipſe cum libere monuerit amicos, ſi quando illos monitione indigere animaduertit. Et religioſorum familiaritate delectatus eſt plurimum, eorumq; conſilijs ſæpè vtebatur. Franciſcum Adornum Societatis Ieſu plurimi fecit, qui cum in extremo vitæ curriculo per dies plurimos, quo tempore in Monte Varallo meditationibus ſe totum tradiderat Carolus, ab cuius latere nunquam diſceſſerit: res admirandas de eximijs virtutibus, quas in poſtrema vitæ ſuæ parte oſtendit Carolus, narrauit, et ſcripſit. Et Franciſci Panigarolæ doctrina, et facundia delectabatur, illũq; in viſitationibus ſæpe comitem habere conſueuerat. Et plurimi erant qui libentiſsime paſtorem ſuũ ſequerentur, nulloſq; labores ſubterfugerent, vt eius iuſsis etiam cum vitæ periculo obtemperarent. Ludouicus Moneta clericus Mediolanenſis

diolanenſis vir egregia fide, & præſtanti pietate Carolo in primis charus fuerat, ipſo comite in itineribus vtebatur maxime, eius etiã conſilio multis in rebus vtebatur. Sed inter complures præſtantes viros, quorum fideli opera in Eccleſia Mediolanenſi gubernanda, & Eccleſiaſticis negotijs tractandis, diu, multumq́; eſt vſus, duo in primis fuerunt non ſolum doctrina, religione, prudentia, ſed Epiſcopali etiã dignitate, quam poſtea conſecuti ſunt in Eccleſia Dei illuſtres Joannes Baptiſta Caſtellius Bononienſis excellens iuris conſultus, qui factus à Gregorio XIII. Epiſcopus Ariminen. demum cum eius, & Apoſtolicæ ſedis nuntium apud Chriſtianiſſimum Regem ageret magno bonorum dolore in Gallia eſt mortuus. Et Cæſar Specianus, qui Romæ Caroli nomine apud ſummos Pontifices res grauiſſimas adminiſtrauit, & anno ſuperiore ab eodem Gregorio Nouariæ datus eſt Epiſcopus. Nam Petrum Galeſinium egregie eruditum, et eloquentem hominem, aliosq́; quàm plurimos Caroli Cardinalis adminiſtros, et alumnos commemorare longum eſt. Quod lacrymis vniuerſus Clerus, omnes nobiles viri, totusq́; Me-

I diola-

diolanenſis populus Caroli funus proſecutus ſit, ſcripſerunt multi. Mœroris tot, tamq; varia ſigna apparuerunt, vt neq; uerbis, neq; literis exprimi poſſe videantur. Ad eius ſepulchrum, quod è regione altaris maioris ad primos gradus chori, ſibi ædificandum ſine vlla pompa conſtituerat, innumerabiles mortales confluxerunt, confluxiſſe etiam multos poſt dies accepimus. Et non paucos reperiemus, qui admirabiles Caroli virtutes conſiderantes, contemptum rerum humanarum cum admiranda charitate, et aſsiduo cum Deo colloquio coniunctum, & cum frequenti ſanctiſsimæ Euchariſtiæ vſu, & manſuetudinem eximiam, & maximam humilitatem, ob Angelicas virtutes, quibus Carolus fuerat conſpicuus, iam in cœlum euolaſſe pro certo habeant. Putent etiam fore, ita Deo, cui arcana omnia notiſsima ſunt, diſponente, vt Carolus aliquando Eccleſiæ decreto in ſanctorum numerum adſcribatur.

Et Gregorius XIII. iudicio præſtantiſsimo, et eximijs virtutibus præditus, accepto de eius morte nuntio, in Conſiſtorio de excellentibus Cardinalis tanti, qui magum ſacroſancto Col-

legio

legio ornamentum attulerat, & pro ſancta Eccleſia, proq; amore Dei labores varios pertulerat, virtutibus, ſermonem habuit, magnũ, & iuſtum dolorem ſuum Cardinalibus expoſuit. A quo Pontifice Gregorio, & à Pio V. qui in Pontificatu illum præceſſerat vnice dilectus eſt, & teſtimonijs varijs, tum in Conſiſtorio, tum in multis ſermonibus fuit celebratus. Et Roma tota, quæ virum Dei venerabatur, & vt lumen militantis Eccleſiæ agnoſcebat, et ſuſpiciebat, Carolum luxit, et lugent illum adhuc plurimi. In luctu hac ratione ſe ipſos conſolantes, quòd in cœleſtem illam patriam ante Regem Regum Dominum Deũ, cuius imperio totus regitur Mundus, admiſſus, Chriſtianæ Reip. cui exemplo, et laboribus conſuluit, precibus aſsiduis prodeſſe non deſinit, et quando eius exemplo meliores non pauci efficiuntur, diſciplina etiam Eccleſiaſtica ſcriptionibus ſuis creſcit; nobis dubium minime eſſe debet, quod vberrimos laborum ſuorum fructus capiet in illa ſempiterna beatitudine vir ſanctus, Deo iuſto iudice meritis præmia cumulatiſsime reddente, quæ nemo cogitare, ne dum explicare poteſt.

Eius exequias celebrauit Nicolaus Cardinalis Cremonenſis, qui mirifico amore Borromeũ diligebat, ita vt ſacrum faciens lacrymas continere ſæpe non potuerit, iacturam, quam fecit optimi, & egregij paſtoris de patria ſua optime meriti, conſiderans. Attigit annum quadrageſimum ſeptimum ſatis longam vitam duxit, ſi plurimarum virtutum exempla, quæ reliquit conſideremus; admodum breuem ſi ad commoda, quæ Eccleſiæ Dei afferebat vitæ exemplo, & pluribus laboribus ſuis animum intendamus, vt vir Dei diutius præmio ſibi debito, cœleſti illa patria careret, noluit Dominus. Qui ſit benedictus in ſæcula.

Hanc de Cardinalis Borromei vita ſcriptionem meam Antoni Cardinalis, Gulielmo Cardinali Sirleto, quem patrem iudicij agnoueram, et Borromei memoriam colentem valde eiusq; eximias virtutes libenter celebrantem, tradideram: ſuſceperat prompto animo ſcriptionem legendam, conſiderandam, emendandam, ſi qua ei emendatione opus eſſe videretur. Cum autem pridie quàm ex hac vita Sirletus migraret ad illum in lecto decumbentem acceſſiſſem, læto admodum vultum

aſpiciens

aſpiciens, inquit. Nihil opportunius contingere poterat mihi, quàm illum, quem de ſanctiſsimi Cardinalis Borromei vita libellum ſcripſiſti, mihi legendum dederas, tibi meis manibus reſtituere. Addiderat quædam, nonnulla etiam detraxerat, quædam correxerat amanter, & prudenter, vt ſolitus erat. Munus tuum (addidit) ſepulchrale fuit mihi acceptiſsimum: diuina prouidentia factum crediderim, vt in vltimo huius vitæ actu, uirtutes Borromei, eius in primis uitæ contẽptus, & animi in minime formidanda morte celſitudo, quem unice dilexi, & magna obſeruantia ſum proſecutus, mihi proponerentur, ut alacrius ad patriam illam communem noſtram tenderem. faxit Deus miſericordiæ parens, ut ego, & tu aliquando in cœleſti illa patria Carolum noſtrum uideamus, ibiq́ue uere in Domino coniuncti, perpetua fœlicitate perfruamur. Ipſe molliter nimium hæc audiens: uix uerbum proferre poteram, lacrymas etiam non continui: ſed quod magis reprehendendum eſt, hæc recordans interdum adhuc lugeo. Quid hoc eſt? Homo in diſciplina Sirleti parum exercitatus imitator malus tanti magiſtri, quem ſuſpiciebã. Senex,

cani-

caniciei, quæ certiſſima aduenientis mortis, et non multum diſtantis nuntia eſt, oblitus meæ; verborum quæ apud ſanctum Apoſtolum Paulum legeram, parum memor, contriſtor de dormiente quaſi ſpem non habeam, lugeo è cuſtodia vocatum à Domino, ſeruum bonum ab exilio profectum in patriam, ex huius peregrinationis fluctibus in portum deductum, ciuem beatæ Hieruſalem factũ, frui ſanctiſſimæ Trinitatis aſpectu, et ſocietate Angelorum. Cohibui me tandem, mi Carafa Cardinalis optime, tuo etiam exemplo, ſic me ipſum alloquens. Mortuum in Domino, atq; ob id beatum lugemus? cur non gaudeamus potius? ſacro Collegio hic erat ornamento? de cœlo precibus ſuis erit ſubſidio. Vicario Chriſti ſeruiebat fideliter? nunc ſeruit Domino Dominorum, eoq; fruitur. Commoda afferebat Eccleſiæ militanti laboribus, et vigilijs ſuis, nunc in Eccleſia triumphanti victoriæ, quam de ſe ipſo, et de perennibus inimicis noſtris retulit (vt æquum fuerat) fructus percipit. Ne cauſa noſtra doleamus nimis, eijciamus molliciem animi, gaudeamus potius migratione amici, & de vtroq; noſtrum, de omnibus potius, qui eius

con-

conſuetudine vſi ſunt, benemeriti. Iuſta perſoluimus (vt debuimus) laudationi, quæ in funere eſt habita interfuimus: Quid reſtat, niſi vt ad eandem patriam aſpiremus, ad quam ipſe (vt credimus) iam peruenit. ſubſidia, quæ nobis eſt pollicitus precum ſuarum apud bonorum omnium largitorem Deum in huius vitæ periculis tam varijs, et magnis expectemus, memores documentorum, quæ nobis reliquit; memoriam amici veri tanti Cardinalis ex animo nunquam excidere patiamur noſtro. Tu qui tanto magiſtro es vſus in ſanctis Græcorum patrum libris potiſsimum perlegendis, & eius conſuetudine plurimos annos te ad maximarum virtutum, quibus ipſe præſtabat, perpetuã imitationem effinxiſti, recordatione Cardinalis Sirleti valde ſemper delectaberis, ego vero, et delectabor, & illum veluti exemplar ſemper habebo ante oculos. Multiplex rerum humanarum & diuinarum ſcientia, cum admirabili humilitate coniuncta: Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ admiranda cognitio cum perpetuo communicandi ſtudio. Sermo grauis, & eruditus, lepore, & charitate Chriſtiana conditus. Patientia ſumma in miſerorum querelis audiendis.

dis. ſtudium in ſubueniendo oppreſſis aſſiduũ. Mirum in diſſimulandis, excuſandis, minuendis aliorum erratis. Rerum externarum, diuitiarum in primis, & inanis gloriæ contemptus. Lenitas animi amabiliſſima. Cautio valde probanda, ne domeſtici eius illi dominarentur. In conſanguineis ſuis minime diuitibus ditandis, digna Cardinali, et Epiſcopo moderatio. Orandi ſtudium cum gratiarum ad Deum actione quotidianum. Hilaritas à puritate conſcietiæ profecta. Hæc omnia animo infixa ſunt meo. hæc ſemper libentiſſime commemorabo. ad tantarum ipſe virtutum imitationẽ, ſtudia mea, cogitationes meas ſemper dirigã. Iacturam magnam, quam anno vno collegium ſacrum Cardinalium fecit (vt alios omittamus) duorum in primis Cardinalium Borromei, & Sirleti ſarciet Dominus Deus, pietate, diligentia, induſtria Cardinalium, qui viuunt, quos ſanctiſsimis ſuis donis in dies magis ditat, & pro ſua benignitate ditabit.

FINIS.

CARDINALIS,
AB
AVGVSTINO VALERIO,
EPISCOPO VERONAE,
DESCRIPTVS.



VERONÆ,
Apud Hieronymum Diſcipulum,
M D LXXXVI.

CAROLO
AMPLISS. CARDINALI
S. PRAXEDIS,
AVGVSTINVS EPISCOPVS
VERONÆ.

NON ſine magna humani generis vtilitate Card. Ampliſs. auctoris, & principis rerum omnium Dei prouidentia factum eſt, vt nihil infra globum Lunæ ſit omni ex parte perfectum: nimirum, vt ſuperbum animal homo demitteret animum, & in cœlum oculos, & mentem tollens, ad æternam, in qua perfecta ſunt omnia, patriam aſpiraret. Inde fit vt nulla in arte quiſpiam ita excellat, vt alius in eadem non poſſit eſſe præſtantior: nemo tam bonus habeatur, aut ſit, quin poſſit indies magis proficere, & fieri melior. Eſt in omni ſcientia atq; artibus (vt ſcis) quiddam ſummũ, eſt perfecta quædam forma, quam animus omnis pulchritudinis, æternitatis etiam capax, concipit, quaq; delectatur maxime; eam ta-

men tyrannide corporis retardatus non aſſequitur. Quare Reſpub. deſcripta eſt, quæ nunquam fuit in terris. Orator depictus, qualis nec fuit nec futurus eſt vllus. Ea Epiſcopi forma propoſita, quam ſolus Christus omnino expreſſit, quam nemo poſt ipſum, aut quàm pauciſſimi ob naturæ infirmitatem magna ex parte retulerunt. Quod cum pro tua prudentia optime cognoſcas, pulchra ſpecie, nobili forma, & veluti idea rerum magnopere delectaris; voluptas liberalis, & pio homine digna. Quamobrem te Card. figuram optare Romę mihi indicauit vnus è Cardinalibus Diaconis vir amabiliſſimis moribus, doctrina, & vitæ integritate inſignis Antonius Card. Carafa; ipſe eam mente concipiebat, varijs occupationibus impeditus, exprimere non poterat, hortabatur magis; vt tibi obtemperarem: vt ipſe aliquid conarer. Quid agerem? recuſarem hunc laborem? id ſine maxima moleſtia facere non potuiſſem. Rudem formam delineaui, quam aut ipſe expoliet, aut tu vir pulcherrimarum rerum excogitator, pulchris coloribus exprimendam curabis. Vale vir Dei, & ſerui diu, vt facis, altiſſimo.

CARDINALIS.

PRÆCLARISSIMAM Cardinalis formam mente concipiens, eamq; optans effingere, vnde exordiar? à naſcentis Eccleſiæ initijs, ab Eccleſiaſticæ Hierarchiæ conſtitutione, à Rege Chriſto, ab Apoſtolici muneris origine, iure exordiendum videtur; vt forma, quam quærimus appareat magis, & facilius dignoſcatur. Cœli, & terræ Rex, cum mundum plurimorum errorum caligine obſcuratum cerneret, ita vt in eo omnes recte viuendi viæ laterent, miſit vnigenitum filium ſuum; qui non ſolum vt lux disijceret ignorantiæ tenebras, vt magiſter ſalutaria præcepta traderet, vt ſeruus humani generis commodis ſeruiret, vt medicus mortalium languores ſanaret, conſuleret demum modis omnibus ſaluti animarum, pro quibus de cœlo deſcenderat: ſed etiam eundem miſit, vt Rex Eccleſiaſticam hierarchiam ad imaginem cœleſtis, cui Sanctiſſima Trinitas præſidet, conſtitueret; rempub. Chriſtianam pretioſo ſuo ſanguine fundaret,

mira-

mirabili ordine diſponeret, optimis legibus moderaretur, & ſanctiſſimis Sacramentis nobilitaret. in qua multiplici gubernatione, cum non vnius tantum hominis, ſed multorum opera eſſet neceſſaria, cœtum Apoſtolorum ſibi delegit, quorum miniſterio in terris ad lucrandas animas, qui eſt Eccleſiaſtica hierarchia ſcopus, vteretur; è quibus vnum reliquit Vicarium Beatiſſimum Apoſtolorum Principem Petrum, qui multò minus tantum onus, Angelicis etiam humeris formidandum, ſine miniſtris, & conſiliarijs ſuſtinere voluit. Inde Apoſtolicum officium eſt ortum, atq; auctum. Inde Romani Pontifices Petri ſucceſſores ſemper habuerunt, qui eis perpetuo aſſiſterent, & quorum conſilio Eccleſiam Dei adminiſtrarent, & qui ſocij tribulationum, eos in paſtorali orbis Chriſtiani cura, adiuuerunt. Cum autem idem ipſe Deus, cuius oculis omnia nuda, & aperta ſunt, ſciret fore, vt ſanctam illam ſedem columnam veritatis, & veræ religionis ſacrarium, multi debita veneratione non proſequerentur, non pauci etiam, partim odio, partim malitia eam conculcare conarentur; eius diuina prouidentia factum eſt: vt

aliquot

aliquot poſt annos Sanctiſſimo viro Syluestro Pontifice, Conſtantinus Imp. excellenti pietate, et heroicis virtutibus præſtans, Eccleſiasticæ auctoritati, Imperatoriam poteſtatem adiunxerit. Urbem Romam, et multas alias ciuitates, & quàm plurima alia oppida ſanctæ Eccleſiæ, Pontificibusq́; Rom. Vicarijs Chriſti perpetuum ſuæ religionis teſtimonium donauerit; vt ea ratione Summi Pontificis auctoritas, ac maieſtas fulciretur, & maiore in honore apud omnes haberetur. Unde creſcente Eccleſia factum eſt, vt Romanum Pontificem varium ornatum in veſtitu, et in ædibus adhibere oportuerit: eius etiam coadiutores, & conſiliarios Cardinales ad grauitatem, & auctoritatem retinendam, ad excipiendos hoſpites, qui ad ſanctam Romanam Eccleſiam confugerent, ad alendam virtutem, ad fouenda bona ingenia, ad ſuſtinendos varios Eccleſiasticæ adminiſtrationis labores; vitæ quoddam genus admittere expedierit. Quod etſi quibuſdam ab Apoſtolica humilitate diuerſum videri potuit: tamen credibile eſt, viros illos, qui primi eam uitæ rationem inſtituerunt, magnam moderationem retinuiſ-

ſe,

ſe, & nunquam conditionis, & muneris ſui oblitos, mutationemq́ illam ab illis factam fuiſſe non tàm voluntate, quàm neceſsitate. Quam Eccleſiaſticam hierarchiam, quem Chriſtianæ Reipub. ſtatum ante oculos habens ſanctus Bernardus ad Beatiſsimum Pont. Eugenium, quem præcipuò quodam amore dilexerat, ſcribens, ſic Cardinalis formam delineauit. vt eſſet vir in catholica fide enutritus, non volens, nec currens, ſed à Vicario Chriſti ad id munus vocatus, verecundus, præter Deum nihil timens, nihil ſperans niſi a Deo, compoſitis moribus, ſanctimonia probatus, ad obediendum paratus, manſuetus, cenſura rigidus, in diſpenſatione fidelis, pacis ſtudioſus, vnitatis amator, in iudicando rectus, in conſilio prouidus, in iubendo diſcretus, in diſponendo induſtrius, in loquendo modeſtus, in aduerſitate ſecurus, in proſperitate deuotus; Zelum habens ſecundum ſcientiam, miſericordia minime remiſſus, in otio non otioſus, in hoſpitio non diſſolutus, in conuiuio non effuſus, in cura rei familiaris non anxius, rei alienæ minimè cupidus, ſuæ non prodigus; legationibus, & omnibus muneribus quando opus eſt, Vicarij Chri-

ſti

ſti iuſſu fungens, qui quod excuſat, obſtinatius non recuſat; poſt aurum non it, ſed Chriſtum ſequitur, Regibus cum interdum eos alloquitur, Ioannem, Ægyptijs, Moyſen, fornicarijs Phineem, Heliam Idololatris, Heliſæum auaris, Petrum mentientibus, negotiatoribus Chriſtum ſe præbens, vulgus non ſpernens, ſed docens, diuites non palpans, ſed terrens, pauperes non grauans, ſed fouens, minas principum non pauens, ſed contemnens, vir orationis, orationi plus fidens, quàm induſtriæ vel labori: humilis cum humilibus, duros durè arguens, reddens retributionem ſuperbis, non ſe nec ſuos ditans, relinquens pacem regnis, legem barbaris, quietem monaſterijs, Eccleſijs ordinem, clericis diſciplinam, Deo populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Has ſanctiſſimus Vir duxit lineas, quas ſi coloribus exprimere voluiſſet, pulcherrimam effinxiſſet Cardinalis figuram: ſed hoc ipſi non erat propoſitum, per digreſſionem enim in egregio illo opere de conſideratione Pontificia Eugenium paterno amore, et magna modeſtia monebat, non Cardinalis formam proponere habebat in animo. Rudis verò forma,

quæ habita horum temporum ratione, formari cœpta eſt aliquando expolienda hæc erat. Vt Cardinalis ſit vir ex orbe Chriſtiano à Vicario Chriſti Romano Pontifice ſelectus, et in ſacrum collegium cooptatus, vt ſibi perpetuò aſſiſtat, quemadmodum Chriſto antequam in cœlum aſcenderet, & Petro antequam ad prædicandum mitterentur, aſtiterunt Apoſtoli vt ſuſtineat ſecum grauiſſimum onus, vir Angelicis moribus præditus, quatenus humana fert imbecillitas, qui charitate incenſus ardet, vt vnus de Seraphim in Eccleſia Dei, multiplici doctrina excultus, veluti vnus de Cherubim in eadem domo Dei lucet, conſtantia animi confirmatus, vt Thronus iuſtitiam facit, & æquitatem, ſenator orbis, et vrbis, libera dans conſilia, in creando ſummo Pontifice, quæ eſt conſultationum omnium maxima, Virum, quem putat optimum, & ad res agendas magis idoneum, pontificatum crucem exiſtimantem, eligens. Pontificis frater, filius eiuſdem, cor, & nobiliſſima portio, quotidianis precibus, ſanctis ſacrificijs, ſi eſt ad ſacerdotium promotus, ſin minus frequentia ſanctiſſimorum Sacramentorum cum ſummo ſacerdote interpellans

ad

ad Dominum pro peccatis populi, in ſacerdotalis officij munere coadiutor, Vicarij Chriſti, rerum Eccleſiaſticarum peritus, iura Eccleſiæ defendens, Eccleſiam Dei aſsidue frequentans, ibiq; perpetui ſilentij, & eximiæ deuotionis exempla præbens; ſceleſtæ nouitatis hoſtis perpetuus, depoſiti, et Apoſtolicarum traditionum cuſtos, frater Regum & Principum, oppreſſorumq; hominum patronus, auaritiæ, & omnis impuritatis inimicus acerrimus; Pontificis oculus eiuſdem auris, interdum etiam os, qui eloquentiam, nunquam à vera ſapientia diſiungit, nunquam vtilitatem ab honeſtate ſeparat, vera virtute delectatur, inanis gloriæ vmbra non capitur: ſic viuit, vt mortem non horreat, tàm ſæpe mortem meditatur, vt ſplendorem Cardinalatus veluti vanitatis occaſionem ſuſpectum habeat; in maximis qui ipſi exhibentur honoribus eſt pauidus, domeſticum tyrannum corpus obſeruat, & domat precibus, & ieiunijs: Vrbe vero Roma egreſſus admirabilem grauitatem cum magna modeſtia coniunctam præſefert, formam Vrbis moribus ſuis referens, ad amorem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ omnes allicit, inuitat ſingulos ad luctum cala-

mitoſis his temporibus; quibus Regum et Principum Christianorum diſcordia, formidabilis atque horribilis eſt populo Dei, Turcarum feriſſima natio; alienus ab omni vanitate, ad preces aſſidue fundendas, eos, cum quibus loquitur hortatur, Epiſcoporum bonis inſtitutis fauet, Principes, quos alloquitur exemplo Imperatorum, Regum, & Principum ad religionem colendam, & ſanctam Apoſtolicam ſedem fouendam excitat. Si ad hæreticos mittitur, aut cum eis neceſſariò ſermonem eſt habiturus, vitæ exemplo catholicam doctrinam confirmans, humilitate potius, quàm dignitatis ſplendore, ſanctimonia quadam magis, quàm acumine ingenij eos in ſanctæ Matris Eccleſiæ gremium ſtudet reducere; paratus etiam falſam eorum doctrinam refellere ſine vlla iactura, & oſtentatione; tam popularis eſt bonitas, veræ virtuti ita fauet Dominus, vt Cardinalem illis moribus præditum hæretici etiam diligant ei minime contradicant, obediant potius. Vir eſt dilectus Deo; charus Chriſti Vicario, gratus ſacro collegio, admirabilis Vrbi, orbi venerandus. Hic autem paret Rom. Pontifici Eccleſiaſticæ hierarchiæ

Prin-

Principi, quemadmodum paruerunt Apoſtoli Chriſto, & Petro; ſuſtinet omnia pro Dei gloria; his difficillimis temporibus non abijcit animum, ſed orat pro populo Dei, conſolatur ſe ipſe, ſummum etiam Pontificem cum eum triſtem videt, commemorans ſanctam Matrem Eccleſiam in anguſtijs coarctari, non tamen debilitari, ſed potius roborari, agitari procellis, non opprimi, oppugnari ſæpe non expugnari, quati tempeſtatibus, non frangi, concuti non euerti, cum diripitur ditari, cum vexatur illuſtrari; calumnijs fieri præſtantiorem, in martyrio triumphare, in miſerijs eſſe beatam, quò magis impiorum tyrannide, & tyrannorum crudelitate, & ſæuitia oppreſſa fuit, eò magis eſſe propagatam; A Pharaonibus populũ Iſrael nobilitatum, à Neronibus Eccleſiam Dei illuſtratam; ſæpe impugnatam eſſe à iuuentute ſua, ſupra dorſum eius fabricare peccatores, Dominum autem concidiſſe ceruices eorum, confudiſſe qui oderunt eam, eosq́; abijſſe retrorſum. Hac ratione miſericordiam Dei ſummo Pontifici ante oculos ponit, et alacritatem à perfecta fide in Chriſto profectam, & Eccleſiæ precibus nitentem præſefert. Idem

chari-

charitate informatus, patientia nobiliſſima virtute ſeptus, varios Eccleſiæ caſus, & ſibi illatas iniurias æquiſſimo animo fert, ea in re Dauidem hominem ſecundum cor Dei imitans; vbi audit aliquem ſibi detrahere, aut etiam maledicere, alienus ab omni vltionis cupiditate, conſcientia fretus dicit delatori. Sine. Dominus præcipit ei, nimirum me vt exerceat, me vt doceat. Interpretatur omnia meliorem in partem, nemini inuidet, æqualium ſuorum laudes libenter commemorat, ſuas virtutes celat, nullius gratiam ſimulatione, & diſſimulatione aucupatur, non cupit præponi alijs, non affectat laudationes, ſed tantum Dei gloriam quærit, propriamq́; & aliorum ſalutem ante oculos habet poſitam, familiam ſuam paterno amore complectitur, eos, qui cum eo ſunt hortationibus, reprehenſionibus, exemplo in primis inſtituit, & meliores conatur efficere, ſtudet vt ex eius domo exeat ſerui Dei, qui monaſteria aliquando recreent, aut Eccleſiam Dei aliquo in munere ſuis laboribus adiuuent, multiplici doctrina ornatus, in primis eam tenet ſcientiam, quam Magiſter Magiſtrorum Chriſtus Apoſtolos, quibus

ipſe

ipſe poſt multos annos ſucceßit, docuit; Epitomen nimirum pulcherrimarum rerum omniũ, quas idem Chriſtus Ieſus tradidit. Scit ſe ipſe contemnere, hoc eſt, quod tàm difficile multi exiſtimant, contemnit contemni, didicit man ſuetudine nihil eſſe amabilius, vincere in bono malum eſſe nobilem victoriam, nobilißimam ſe ipſum vincere: cognoſcit quàm laudabilis ſit luctus, quàm optabiles ſint lacrimæ, cum illis ſordes animarum eluantur. Didicit ſequendam iuſtitiam, vt mirabilis rerum ordo ſeruetur, vt pax, & tranquillitas alatur; miſericordiam eſſe virtutem neceſſariam, cum miſeriarum plena ſint omnia, & omnes miſericordia egeamus: mundiciam cordis ab omni dolo, & fallacijs alienam, nouit eſſe omnibus honoribus anteponendam. Didicit quàm bona ſit pax, quandoquidem vere Chriſtum imitantur, qui auctores pacis ſunt, qui pacem habent, qui pacem quærunt, qui pacem perſuadent. Nouit quot bona ab inimicis capi poßint, quanta commoda maledicentiæ & calumniæ afferant, cum doceant patientiam, humilitatem, cum imitatores Chriſti homines efficiat. cognoſcit ſe eſſe debere ſal terræ vt

condiat orbem Chriſtianum, lucem mundi vt ignorantiæ tenebras depellat: ſibi ferendam crucem, quæ in audiendis importunis hominibus, in tractandis difficillimis cauſis, in perpetuis occupationibus, in coercendis vitijs, in extirpandis malis conſuetudinibus, in ferendis peruerſis ingenijs, conſiſtit: idq; vt ſucceſſorem ſe oſtendat Apoſtolorum his elementis, cardinalitiæ, hoc eſt, Apoſtolicæ diſciplinæ imbutus, hiſtorias legit multas præſertim Eccleſiaſticas, vt ſenator orbis nihil tanquam nouum admirari videatur, quod pueris, et illis qui hiſtorias non legerunt, accidit. In ſacris libris in iure canonico, in ſcholaſtica Theologia, aut ſaltem in aliquo earum facultatum ſtudio diligenter verſatur, vt fœdiſſima monſtra quibus infeſtatur Eccleſia eijciat, vt quid ius præſcribit optime cognoſcat. Eius teſtimonio creantur Epiſcopi, diſsidia multa tolluntur, eius opera virtuti debita dantur præmia, eius admonitionibus ſæpe multi à vitijs deterrentur, ita vt aliqua ratione Angelus videatur eſſe in terris. Bona enim nuntiare, conſolari, corrigere, in officio continere, Angelicæ naturæ eſt, quam Angelicam naturam vitæ puritate,

ritate,

ritate, et perpetua caſtitate in primis imitatur. Senator orbis eſt cum ſummus Pontifex, cui aſſiſtit ſit regnorum, omniumq́ administrationum interdum moderator, & arbiter, ab eoq́ cum opus eſt, adhibeatur in conſilium. Cum autem deprauetur conſilium, & corrumpatur cæco quodam, quo quis perdite ſe diligat, amore, aut inuidia, aut odio, aut timore, omnibus perturbationibus eſt vacuus, vnum in primis Deum diligit, eiusq́ amore cætera, quæ amabilia videntur metitur, nihil timet niſi offenſam Dei, rerum caducarum ſpe minime delinitus, vitam æternam ſibi proponit in vno Deo omnes ſpes ſuas collocans. Cum verò Ariſtotelica illa diſtinctio rerum, quæ in conſultationem cadunt, quinq; illis capitibus comprehenſa; De vectigalibus, de præſidio militũ, de annona, de bello, & pace, & de legibus ad administrationem etiam Eccleſiaſticæ Reipub. accommodari poſſit; omnium, quæ his capitibus continentur, eſt admodum peritus, quod quidem partim ex hiſtorijs, partim ex obſeruatione rerum, quæ ſingulis diebus eueniunt, conſequitur, Vectigalia cognoſcit; item præſidia Vrbis, & Ciuitatum ſedi Apoſtolicæ ſubiecta-

rum, quæ etiam in illis ſint militum turmæ, iniquiſſimam pacem cum ſceleſtiſſimo Sathanæ miniſtro Turca deteſtatur, & Chriſtianos Principes, ipſumq; in primis Chriſti Vicarium ad fœdera inter ſe ineunda excitat, ſi debitæ cautiones adhibeantur, ſi temere non ſuſcipiantur bella, ſi concordia tàm neceſſaria, tàmq; vtilis Chriſtiano populo prius ſtabiliatur. Contra peruerſarum opinionum diſſeminatores, contra portenta hominum, tot monſtra parientia, nimirum hæreticos bellum etiam excitat, hortatur ad id Principes, omnes interea vias proponit, quibus deſertores filij in gremium, aut potius, in caſtiſſimos matris amplexus reducantur inter reliquias Chriſtiani populi, qui nec tyrannide oppreſſus Turcarum, nec labe commaculatus hæreſum, ſanctam matrem veneratur Eccleſiam, omnino proponit, & miris laudibus extollit, pacem optimarum artium altricem, quietis, & lætitiæ ſociam, charitatis ſobolem, & humanæ vitæ optimum condimentum, leuibus de cauſis, vt plerunque miſerrimis his temporibus ſolet accidere, non eſſe turbandam pacem oſtendit Chriſtianorum diſcordijs, imò etiam quarundam familiarum

faſtu,

faſtu, magnas tragœdias excitatas, mutatas adminiſtrationum formas, interdum ad tollenda diſsidia commemorat. Si charitate annonæ pauperes opprimi videntur, vias indicare, & excogitare rationes conatur, quibus in vſum populi, ad Dei gloriam, et ad commendationem illius adminiſtrationis vilior fiat. Leges verò Eccleſiaſticas aliquot voluminibus comprehenſas tenet, aut ſaltem earum præcipua capita habet in promptu: præſertim generalia Concilia in Spiritu Sancto congregata, poſtremum in primis hoc Tridentinum: Eccleſiæ ſanctæ Dei, & populo Chriſtiano admodum ſalutare. Legum omnium, & decretorum Eccleſiaſticorum ita eſt obſeruator, & tàm acris Conciliorum defenſor, vt, quantum in ſe eſt, nihil contra eorum decreta fieri permittat; & ſi quid hac in re prætermiſsum fuiſſe audierit, ſtatim id ſummo Pontifici indicat: cuius vacante ſede cum electionem fieri oporteat, quæ (vt antea dictum eſt) omniũ conſultationum eſt maxima; quandoquidem cum de eligendo ſummo Pontifice agitur, agitur de homine ad altiſsimum faſtigium euehendo, de diuino homine ex multis deligendo: eo-

demq; tempore agitur de Dei gloria procuranda, & de Chriſtiani populi ſalute. Qua in re quantum ſit momenti teſtantur hiſtoriæ, cum multæ in Eccleſia Dei progreſſiones factæ ſint, ſanctorum Pontificum exemplo, & opera. Et cum interdum non optimorum quorundam Pontificum indulgentia nonnulla ſcandala in populo Dei ſint orta, ita vt iure optimo bonus Pontifex ſalus populi Chriſtiani dici poßit: Cum inquam de ſummo Pontifice electionem fieri oporteat, ſi vlla in re, ſpe, timore, aut cæco ſui amore non perturbatur; in hac certe electione ab omni animi electione eſt liber: audit Sanctum Spiritum, qui ſuggerit ſemper optima conſilia, præſertim in re tanta eum inuitat aßiduis precibus, & ſanctis ſacrificijs. Deum ſolum in tanta conſultatione ante oculos habet; non propria commoda, non magnam quam ante inierat cum aliquo amicitiam, non Principum aut Regum commendatitias literas; naturæ bonitatem ſpectat, Virum ad culmen Eccleſiæ vehere ſtudet, qui gloriam Dei ſibi in omnibus proponere ſit ſolitus, ſua minime quærat, qui à propinquorum tyrannide ſit liber; qui paterna chari-

tate

tate pauperes amplectatur: minime ſubdolum, minime fallacem, viſu rerum edoctum, orationi in primis deditum, ſanctiſſimis ſacramentis veluti cibis ſe ipſum in hac valle lacrimarum ſuſtentantem: literis excultum, minime iracundum; zelo tamen in hæreticos, & in omni vitiorum genere contaminatos homines incenſum, Canonum, Concilij in primis Tridentini obſeruantiſſimum; minime elatũ, minime prodigum, modeſtiam imò potius humilitatem Apoſtolicam ab omni fuco alienam vultu, & ſermone præſeferentem. Pontificatum crucem putantem; quam crucem agnouit, & tulit cum lacrimis beatiſſimus ille Pontifex, omnium Pontificum decus, & ornamentum; Gregorius primus: qui de ſuo Pontificatu loquens his verbis vſus eſt, ſibi illa Dauidis verba accommodans. Deiecisti dum alleuarentur: alio etiam verſiculo ſuum exprimebat dolorem: Percuſſus ſum vt fœnum & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum: Quæ etſi veriſſima ſunt, & Epiſcopi, Cardinales, multò magis ſummi Pontifices, varietate negotiorum, ſuauitate contemplationis, et colloquijs cum Deo priuantur,

uantur, eorum animæ feſſæ ita areſcunt, ſæpe vt fons deuotionis in illis ſiccetur. Crucem tamen illam magnam ferat aliquis, nobiliſſimam illam regendi populi prouinciam ſuſcipiat vnus neceſſe eſt; in quo eligendo qui ſuis proſpiceret commodis, aut qui debita diligentia non adhibita, temere quempiam ad tantum munus deligeret: aut Regibus, aut Principibus hac in re gratificari ſibi proponeret: Is ſanè non bonus ſenator, nec bonus vir appellari poſſet. In valde neceſſario Inquiſitionis officio, quod re & nomine eſt ſanctum, aut interpretatione decretorum ſacri Concilij Tridentini, aut in tractandis Epiſcoporum cauſis, aut in examinandis hæreticorum libris, aut in gerendis cum Regibus, et Principibus negotijs Cardinalis ſummum Pontificem adiuuat: à quo ſæpe frater nominatur; quia domum Dei ipſe etiam nititur augere, quia communes poſſeſſiones, ſacrarum literarum veram interpretationem, Apoſtolicas traditiones, ſanctæ Eccleſiæ ritus, canonicas ſanctiones tuetur: omnia ſanctæ ſedis Apoſtolicæ iura defendit: quo fratris nomine eò magis gaudet, quoniam Romanus Pontifex ſacri ſenatus Prin-

ceps

ceps nominatur. Hac ipſa fratris appellatione inuitatus, modeſtia, & reuerentia adhibita ſibi licere arbitratur, Vicarium Chriſti libere monere; ſi quid in adminiſtratione Eccleſiæ fieri contra decreta Conciliorum, aut etiam omitti animaduertit. Huius Apoſtolicæ, & fraternæ libertatis exemplum reliquit ſanctus Paulus, qui interdum beatiſsimum Apoſtolorum Principem primum Chriſti Vicarium, libere admodum monuit: amabiliſsimo filij nomine, quo ſæpe à ſummo Pontifice Cardinalis appellatur, ita afficitur, vt nihil magis fugiat, & nulla ex re maiorem moleſtiam ſentiat, quàm in aliquo patrem omnium Chriſtianorum, Epiſcopum orbis, triſtitia afficere, & maxime nititur, ne illa Malachiæ Prophetæ verba à Chriſti Vicario iure interdum poſsint vſurpari. Si ego Pater vbi eſt honor meus? et ſi ego Dominus vbi eſt timor meus? Quare ſtudet maxime, vt ea quæ de filio ſapiente ſcribit Salomon, nimirum eum eſſe lætitiam patris, in ſe conueniant, ita vt cum ſit, et habeatur optimus Cardinalis, ſit lætitia Principis. Iccirco in diſciplina Eccleſiaſtica in dies magis proficit: peruerſam illorum opinionem,

qui

qui quotidianam miſſarum celebrationem improbant, aut certe non laudant; eorum etiam, qui frequentem vſum ſacramentorum, vt rem inſolitam & nouam, repudiant, non admittit, imò potius in ſanctiſſimo illo ſacrificio Chriſti auxilium implorat, vt Vicarium ſuum in terris dirigat, & ſponſam ſuam dilectam tueatur. Eos, qui ad ſe veniunt, docet humilitatem; quo magis in excelſiore loco eſt conſtitutus, docet modeſtiam, de ſe ipſo nunquam aut rarò verba faciens; docet humanitatem, facilem aditum ad ſe omnibus præbens, docet contemptum mundi, docet calamitoſum et lacrimabilem Eccleſiæ ſtatum, docet eſſe orandum ſine intermiſſione, eſſe lugendum, eſſe pœnitentia, & ſanctis operibus iuſtiſſimam Dei iram placandam, docet etiam publicis ſermonibus Chriſtianæ vitæ rationem, præſertim in ea parochia, cuius titulo nominatur; eius enim fidei illæ animæ videntur creditæ: frequentat magna cum alacritate Eccleſiam, diuinis officijs præſente ſummo Pontifice ſemper intereſt; Sacerdotis aut Diaconi quando opus eſt munere fungitur, qua in ſacroſancta functione ita eſt exercitatus, vt qui adſunt in ſui veneratio-

tionem

tionem trahat. Si qui Principes, ſi qui nobiles viri ab aliquo iniuria affecti ad ſedem Apoſtolicam veluti ad arbitram, & matrem confugiunt, ipſe iuſtam eorum cauſam ſuſcipit, & defendit; Viros innocentes ſubleuat; iniurioſos ſummi Pontificis auctoritate coercet, vnà cum ſummo Pontifice ſeruit commodis, et ſaluti populorum: E prouincijs prauas conſuetudines ſtudet tollere, ciuitatibus proponit ſanctos Epiſcopos parochijs, et alijs Eccleſiaſticis muneribus idoneos ſacerdotes nominat; Viros bonos calumnijs oppreſſos, & varijs ſæpe litigijs vexatos tuetur. Cum verò communem matrem et magiſtram agnoſcat, & veneretur Eccleſiam Dei, & communes hoſtes deteſtetur hæreticos, ſectas hæreticorum omnium omninò cognitas habet; & in illis libris, qui ſcripti ſunt contra hæreticos libenter verſatur: quorũ cum magna ſit copia, eos diligit, qui ſunt magis probati, et qui breuius, et dilucidius hæreticorum commenta refellunt; pugnæ eſt aſſuetus, portenta hominum hæreticos ſcit iaculis confodere, quæ in arte hoc ſæculo admodum neceſſaria, vt peritiſſimus euadat, ſcholaſticorum, et Theologorum omnium libris de-

D *lectatur,*

lectatur, Beati Thomæ in primis aurea illa, & admiranda ſumma, conſuetudine etiam doctorum virorum in controuerſijs dirimendis exercitatorum libenter vtitur. Quod ſi, vt nonnulli ex ſacro illo collegio fecerunt, & adhuc ſunt qui magna cum laude id poſſunt facere, libros ſcribat populo Dei vtiles, quibus hæreſes confutentur. ampliſſimo loco, quem in Eccleſia Dei tenet ſplendorem addit non minimum, & in hoc maxime Romani Pontificis frater, qui tanto ſtudio eius auctoritatẽ tuetur, & Sanctæ Eccleſiæ optimus filius, qui eius limites fortiter defendit, agnoſcitur. Eſt præterea cuſtos depoſiti, et Apoſtolicarum traditionum ab omni nouitate, vtpotè omnium ſeditionum, & variarum calamitatum in populo Dei altrice alieniſſimus. Locum qui à catholicis viris vberrime tractatur de Apoſtolicis traditionibus ſeruandis in promptu habet, & ſæpe commemorat. Cuſtodiendum depoſitum, ſacram vetuſtatem venerandam, patres noſtros ſequendos, qui Eccleſiam magiſtram, omnium errorum expultricem audierunt. Pro his traditionibus, pro ſanctæ Eccleſiæ auctoritate, qua Chriſtiana religio, per-

fecta

fecta ſapientia in primis nititur, pro hac inquam ſede Apoſtolica, pro illo depoſito ad quod cuſtodiendum ſanctus Apoſtolus diſcipulum Timotheum hortatus eſt, ſanguinem paratus eſt fundere. Rubrum illum pileum, quem capite geſtat, non ſolum interioris ſuæ in Deũ, & proximum charitatis teſtem, ſed etiam alacritatis ad effundendum ſanguinem ſi opus ſit pro tuenda ſedis Apoſtolicæ dignitate, indicem affirmat: quos ſanctos illos primorum Pontificum coadiutores feciſſe legimus: quod Longobardorum etiam temporibus cum Vicarij Chriſti varijs iniurijs afficerentur non paucos feciſſe conſtat; difficillimas legationes ſuſcipientes, & magnis ſe periculis vt ſummo Pontifici obtemperarent, obijcientes. eloquentiæ eſt amator, quam tamen nunquam à ſapientia diſiungit; eſt latinitatis obſeruator, ſed ab Eccleſiaſticis vocibus non abhorrens ab omni verborum ſtrepitu alienus, moderato, graui, & ſententiarum potius copia abundante, quàm verborum ſplendore, ornato ſermone vtitur: & in explicanda in Conſiſtorio ſententia ſua eam prudentiam, grauitatem, & modeſtiam adhibet, quam decet orbis terræ ſenatorem,

in tanto orbis ſenatu, & coram patre, qui vicem Chriſti gerit in terris. Quamobrem nec ſibi placet in texendis longis ſermonibus, nec Ciceronianum ſe eſſe profitetur, ſed libere grauiter, modeſte, dilucide, & verbis Eccleſiaſticis explicat ſententiam ſuam, qua laude excelluerunt aliqui proximis annis, duo in primis, quorum alter alteri ſucceſſit Pontifex, Marcellus nempe II. et Paulus IIII. quorũ ſententia, cum Cardinales eſſent, vt viri probatiſſimi teſtantur, veluti oracula aliquot annorum ſpacio habebantur. Vtilitatem ab honeſtate non ſeparat; quamobrem in ſermonibus, & in actionibus ſuis honeſtatem ſemper habet propoſitam: Quod cum pietate, cum religione coniunctum eſt, quod virtutes alit, quod à vitijs abhorret, id honeſtum ducit, id ſequitur, id proponit: quod de vera pietate, de Apoſtolicæ ſedis auctoritate vel minimum poßit detrahere, id aduerſatur, id fugit, id deteſtatur. Virtuti, quæ nihil eſt formoſius atque amabilius ſemper fauet, Viros bonos, & eruditos ad ſe inuitat, & veluti bonitatis, et doctrinæ explorator, ſi quempiam in Vrbe teſtimonio, et commendatione ſua egere cognoſcit,

eum Pontifici commendat, & in hoc iuſtitiæ legem maxime ſeruat, cum ingenium inani familiæ ſplendori, bonitatem commendatitijs literis, aſsiduis etiam officijs, doctrinam omnibus bonis externis anteponendam exiſtimat. Qua ratione bonorum, et literatorum patronus, & quaſi pater efficitur, & dum hac in re boni viri fungitur munere, fungitur etiam officio optimi ſenatoris, nihil laudabilius exiſtimans, quàm vt virtuti ſit locus. Perniciosæ prudentiæ regulas fugit, de quibus longum ſcribi poſſet volumen; iccirco non fruitur vtendis, non ſibi nec alijs adulatur, non ſimulat; non probat illud nempe violandum ius regnandi cauſa: non diligit tanquam auarus, non quærit ſemper quæ ſua ſunt, ſe ipſe ſtudet cognoſcere, innumerabilia Dei beneficia commemorat, hanc vitam plenam ærumnis, varijs periculis expoſitam non immoderate cupit protrahere, & quis ſana mente præditus id cupiat, cum ad peccandum tàm procliues ſimus? cum pugnandum ſit perpetuò cum acerrimis inimicis Sathana, Mundo, Carne? quibus etiam difficilius reſiſtunt, qui diuitijs, & honoribus abundant. Quare illa ipſa inſignia

ſignia ſplendoris, quæ communi hominum opinione magni ſiunt, quibus omnes aſſurgunt, pro quibus conſequendis tantum ſtudium, tantamq́; diligentiam pleriq; ponunt, ipſe conſiderans, ſic interdum ſecum loquatur. Nonne me cum his ornamentis, cum his titulis tres manent terræ cubiti? an non etiam ipſe hac lucis vſura breui cariturus eò deducar vbi ampliſſimi etiam huius muneris rationem ſum redditurus, daturusq́; pœnas, ſi diſciplinam neglexero, eò grauiores, quo & illuſtrioribus beneficijs, & inſigniore titulo ad omnem virtutem, et ad charitatem in primis Chriſti Vicarius me inuitarat? Quo pompa maiore, et nobiliore comitatu deducitur, eò diligentius ea conſiderat, quæ beatus Bernardus Eugenio Pontifici ſcripſit quid, quis, qualisue ſit, et ſecum dicit, puluis, cinis, vmbra, terræ minima portio, quamuis tot tantisq́; honoribus afficior, conditionis meæ obliuiſcar? homo infirmum dicam, an miſerum potius animal? varijs peccatis obnoxius, quamuis me beatum multi iudicent, peccata mea, et aliorum non lugeam? addit, qualis denique ſum? an ea qua deberem charitate incenſus, an conſilia quæ mihi

ſug-

ſuggerit Spiritus Sanctus mihi ipſi, & alijs ſemper propono? dignus ſum qui habeam patrem Vicarium Chriſti, vt à quo tàm ſæpe dulciſsimo filij nomine appeller? Cum in Vaticanum multis deducentibus de more, & tibicinibus etiam ſonitu excipientibus venit; ſic ſecum ipſe commentatur: Deducant vtinam me in ſacroſanctum illum, & æternum ſenatum, in patriam cœleſtem Angeli & Archangeli Dei. Et cum antequam ſacra celebrentur, veneratur ſummum Pontificem, erigit mentem, & ſic ſecum ipſe loquitur. Vt nunc verum Chriſti Vicarium veneror, ita ſanctiſſimam Trinitatem adorem in cœlis. Vir Dei his meditationibus ſe ipſe erudiens non effertur, mortem meditatur, quæ meditatio prodeſt plurimum ad animi moderationem retinendam. Cardinales, qui proximis annis ex hac vita migrarunt in memoriam reuocans reperit non paucos immatura morte præreptos. Summorum etiam Pontificum ſepulchris & varijs mutationibus, quæ Romæ paucorum annorum ſpatio fiunt ad contemnendam vitam, & ad mortem expectandam eruditur. Quamobrem vitæ exitum expectat in tot ac

tantis

tantis rerum proſperitatibus pauet, ieiunijs, precibus, ſanctis ſacramentis, inſidioſam corporis tyrannidem reprimit. Dilectus Deo, quia eius præcepta cuſtodit, quia vt ei pareat diligit proximum. Charus Pontifici, quia cum ipſo ſeruit populo Dei; quia eum nunquam fallit, quia ſanctæ ſedis Apoſtolicæ dignitatem non propria commoda ante oculos habet. Gratus ſacro collegio, quia ſibi nihil tribuit, quia nemini ſe ipſe præponit, quia nemini detrahit, quia de omnibus quantum in ſe eſt benemereri cogitat. Admirabilis vrbi, quia non admiratur res humanas, quia cœleſtem patriam ſpectat, quia pernicioſum conſiliarium mundum vana ſuadentem, vir varia eruditione, et multis virtutibus inſtructus non audit. Hunc veneratur orbis, quia virum ſanctum, & plane Apoſtolicis moribus ſe eſſe oſtendit, quia ſenatoria quadam grauitate ſingulos in ſui amorem, & admirationem conuertit, quia ad Angelicam vitam, contemptis terrenis rebus proxime videtur accedere. De hoc audiuntur hæ voces. hic eſt vir Dei, hic gaudium Pontificis ſummi, vtinam omnes ſui ordinis huic eſſent ſimiles,

hic

hic eſt lumen Ecoleſiæ, & decus ſedis Apoſtolicæ: hic dignus qui ſuo tempore in terris vicem gerat illius, quem nunc maxime diligit, et cuius præcepta ſeruat Chriſti. Adduntur etiam hæc. Dominus conſeruet eum, et viuificet eũ; hunc virtutis patronum, et afflictorum hominum refugium, hunc illuſtrium virtutum exemplar diutiſſime incolumen habeamus. Iam ad pulcherrimarum omnium formarum artificem confugiamus, & in abſoluenda nobiliſſima forma Eccleſiaſticæ hierarchiæ admodum neceſſaria eius auxilium imploremus.

Cœli et terræ gubernator Deus, humani generis conſeruator, & populi tui defenſor, Pater miſericordiarum, et Deus totius conſolationis, qui filium tuum vnigenitum Ieſum Chriſtum legatum ad inimicos tuos, quorum inobedientia & varijs peccatis ad iracundiam eras prouocatus, miſiſti, vt pacem annunciaret, vt ſe exinaniret, & formam ſerui accipiens ſua ſeruitute Mundum à Sathanæ tyrannide liberaret, eundem Paſtorem, vt gregem fame verbi tui pereuntem, et inedia ſpiritualium ciborum tuorum tabeſcentem paſceret, qui tum miſiſti ſpeculatorem, vt à mundi illece-

bris animas ad imaginem & ſimilitudinem tuam creatas, tueretur: vnde paſtoralis ars nobiliſsima ortum duxit, in qua à naſcentis Eccleſiæ tuæ principijs egregios multos diſcipulos & ſanctos paſtores tuo ſancto Spiritu inſtruxiſſe, benigniſsime pater cum eundem vnigenitum filium tuum Saluatorem noſtrum Regem etiam Eccleſiaſticæ hierarchiæ tuæ conſtitueris, ſacrum Collegium regendum populo tuo neceſſarium eſſe iudicaueris, concede quando ille idem filius tuus Saluator Mundi, proſtrato Sathana, deuicto Mundo, Cœli ianuis apertis, placata (quod miſeriarum noſtrarum erat caput) iuſtiſsima ira tua, aſcendit in Cœlum, & nunc ſedet ad dexteram tuam, concede, inquam, clementiſsime Cœli, et terræ Rex, Eccleſiæ ſponſæ filij tui, quam tanto precio redimendam iudicaſti perpetuos miniſtros, qui nihil aliud, quàm honorem & gloriam nominis tui ante oculos propoſitam habeant; longe ſemper abſit ab Eccleſiaſtica hierarchia, à Regno tuo, inuictiſsime Rex, præſertim à ſacro, quem conſtituit filius tuus, Senatu, ab illo ſummorum Pontificum ſeminario, omnis dolus, adulatio, rerum humanarum admiratio, regi-

na

na omnium virtutum charitas adſit perpetuò, nihil vnquam eo in loco proponatur, nihil ſtatuatur quod ad gloriam tuam non ſpectet: nemo ſua quærat, ſed tua, nemo perperam agat, ſed ſecundum legem Euangelij filij tui, et ſecundum canones, quos ſancta Mater Eccleſia, quam nunquam errare permittis, decernit. omnes conſiliarij, quos adiuuare Vicarios eiuſdem filij tui iuſsiſti nouerint officium ſuum, intelligant ſacram rem eſſe conſilium, magnum eſſe theatrum, in quo conſtituti ſunt: in conſilijs te quærant, in actionibus ſuis gloriam tui nominis ſpectent. Et cum pro tua prouidentia Vicarij Chriſti auctoritatem Imperatoria etiam poteſtate muniendam ſtatueris, inſtrue Domine omnes Apoſtolorum ſucceſſores, Romani Pontificis fratres et filios ſalutaribus documentis, vt ſe ipſi noſcant, norint in rerum abundantia ſeruare paupertatem ſpiritus, ſciant vitare inuidiam hominũ, modeſtia & laboribus aſsiduis, conſilio, auctoritate, atque opibus ſuis etiam inopum calamitatibus ſubueniãt: præſentem Reip. ſtatum ſæpe conſiderent: in tot & tantis, qui ipſis exhibentur honoribus ſe ipſi obſeruent, timeãt,

maxime ne tuam maieſtatem offendant: & omnibus rebus externis contemptis ad cœleſtẽ ſenatum, vbi tu Deus trinus, & vnus præſides aſpirent. Te etiam ſacri Conſiſtorij princeps, et primorum inſtitutor Apoſtolorum, quibus ij qui in ſacro Collegio ſunt diuerſo nomine ſucceſſerunt, te, inquam, fili Dei ſanctæ Eccleſiæ ſponſæ, qui interpellas perpetuò pro nobis Ieſu Chriſte appello, grauiſsimis peccatis populi tui iterum atq; iterum prouocatus, interdum non optimis vicarijs, & non probatiſsimis eorundem conſiliarijs, vt id iuſtiſsimæ iræ tuæ eſſet indicium; eundem populum tuum punire voluiſti; Vnde variæ calamitates Chriſtiano orbi euenerunt cum iam in ſpem adducti ſimus aliqua ex parte iuſtiſsimam iram tuam eſſe mitigatam, conſerua nobis diutiſsime hunc Pontificem, quem habemus Gregorium XIII. fideliſsimum ſeruum tuum, & benigniſsimum orbis Chriſtiani patrem. Cum autem illum ad cœlum vocaueris, da populo tuo ei, & proximis Pontificibus ſimiles. Idem ſtudium, idem zelus, eadem diligentia, eadem charitas ſit perpetuò in ſucceſſoribus Petri, quæ antea fuit in Leonibus, in Gregorijs, in

Pijs

Pijs & in alijs ſanctiſsimis Pontificibus, quorum nomina ſcripta ſunt in Cœlo. Tu bone Ieſu Magiſter orbis, humani generis Saluator, qui ſolus pacem pro nobis impetrare potuiſti, Apoſtolis tuis dixiſti. Vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes iudicantes duodecim Tribus Iſrael, & omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel filios, aut agros propter nomen meum centuplum accipiet; & vitam æternam poßidebit: Et paulo poſt. Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt poteſtatem exercent in eos, non ita erit inter vos, ſed qui voluerit inter vos maior fieri ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe erit veſter ſeruus: ſicut filius hominis venit non miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemptionem pro multis. Hæc in animis illorum qui Vicarijs tuis ſemper aßiſtunt, Apoſtolorum ſucceſſores ſemper hæreant verba, ſequantur te Chriſte in omnibus; vt quemadmodum nunc veluti ſacerdotes Leuitici generis iudicant in rebus Spiritualibus orbem; ita in aduentu tuo iudi-

cent

cent duodecim Tribus Iſrael. Domum tuam, relicta propria domo Domine ſanctam Eccleſiam ornent, Beatiſſimo Chriſtianorum omniũ Patri in primis obtemperent, eum nunquam triſtitia afficiant. Sacerdotes bonos, probos etiam viros fratrum loco habeant, pauperes paterno amore complectantur, centuplum accipiant, & æterna demum vita perfruantur. Non dominantes in clero, ſed forma facti gregis, ſint forma humilitatis, forma ſobrietatis, forma charitatis, forma Eccleſiaſticæ diſciplinæ, miniſtrantes Regum, Principum, Prouinciarum, Ciuitatum, oppidorum ſaluti, oppreſſos, viduas in primis, & pupillos ſubleuantes, & gloriam tuam Rex æterne aſſidue procurantes, vt eorum pietate, & ſanctimonia excitata Germania, Anglia, et aliæ Prouinciæ, quæ infœliciter nimium à ſponſa tua diuulſæ ſunt, in eiuſdem caſtiſſimos amplexus redeant. Sit ſacrum Conſiſtorium exemplar ſanctitatis, ſit ſtimulus ad Eccleſiaſticam diſciplinam, ſit ſpeculum probitatis, ſit flagellum hæreticorum, ſit impiorum confuſio, cum ſumma reuerentia quæ merito ei exhibetur, coniunctus ſit amor populi tui. Tu Domine Li-

num

num et Cletum, tu Clementem ei, quem Principem Apoſtolorum conſtituiſti Petro coadiutores dediſti. Tu Pontificibus bonos miniſtros ſemper elegiſti, tu vbi coadiutores Vicarij tui Cardinales appellari cœperunt, Bonauenturas, Vgones, Cuſanes, Ægidios, Turrecrematos, Caietanos, Roffenſes, & alios quamplurimos eximios viros Eccleſiæ tuæ dediſti, ornaſti, & iam his temporibus ſacrum illud Collegium viris in omni laudum genere præſtantibus: Fac Domine vt nunc decorem Eccleſiæ tuæ videant, qui eam conculcare conantur, vt confundantur, & reuereantur qui quærunt ei mala, qui detrahunt, qui omnia in deteriorem partem interpretantur, qui Vrbem Romam, ea qua deberent pietate non complectuntur, qui cum habeant oculos nolunt videre, cum habeant aures nolunt audire mirabilia, quæ operatus es Domine in illa Vrbe. Conuerte Domine furentes homines, et conuertentur, adiuua eorum infirmitatem, amoue ab eorum cordibus duriciam, ametur Sponſa tua, eius voces audiantur, quia ſi auditæ fuerint, audieris et tu, et præcepta tua ſeruabuntur; orietur pax, tranquillitas, concordia, & multis, & varijs perturba-

turba-

turbationibus, & calamitatibus populus tuus liberabitur.

Hac eſt rudis Cardinalis forma, quam anno ſanctiſsimi Jubilei in reditu ab Vrbe Roma ad propria, vt viro Dei obtemperarem effinxi. expoliat, qui ad eam me delineandam eſt hortatus. Forma valde rudis eſt, politiſsimo artifice eſt opus, qui pulchris eam exprimat coloribus.

FINIS.

EPISCOPVS,

AB AVGVSTINO VALERIO,

EPISCOPO VERONÆ,

DESCRIPTVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Acceſsit

ISIDORI PELVSIOTÆ

EPISTOLA,

Breuis illa quidem, at plena officijs curæ epiſcopalis,

A PETRO GALESINIO,

Protonotario Apoſtolico, conuerſa.



VERONÆ, M D L X X X V I.

Apud Hieronymum Diſcipulum,

CAROLO

CARDINALI S. PRAXEDIS,

ARCHIEPISCOPO MEDIOLANI,

EPISCOPALIVM VIRTVTVM LAVDE

FLORENTISSIMO,

OB EIVS RELIGIOSAM, PIAM, ET ADMIRANDAM

IN PASTORALIS MVNERIS SOLLICITVDINE

PROGRESSIONEM,

LIBRVM HVNC,

EX SVMMA AVGVSTINI VALERII, EPISCOPI VERONAE,

VOLVNTATE SINGVLARISQ. OBSERVANTIAE TESTI-

FICANDAE STVDIO,

PETRVS GALESINIVS,

PROTONOTARIVS APOSTOLICVS,

PERPETVO DICAVIT.

CAROLO
AMPLISS. CARDINALI
S. PRAXEDIS,
ARCHIEPISCOPO MEDIOLANI,
PETRVS GALESINIVS,
PROTONOTARIVS APOSTOLICVS,
S. D.

EPISCOPI forma, ab Auguſtino Valerio, egregia virtute Epiſcopo, hoc libro deſcripta, typiſq. Mediolanenſibus euulgata, in tuo nomine apparet. Cui ego Iſidori Peluſiotæ, religioſi monachi, viriq. ad diuinam virtutem eruditi, epiſtolam adiungendam cenſui: quæ, a me latine reddita, breuis ſane eſt, plena tamen epiſcopalium officiorum. Hoc igitur in volumine, exiguo illo quidem, at amplitudine tua certe digno, tamquam in ſpeculo, contempleris licet veram, ſolidamq. eam Epiſcopi imaginem: quam beati Pauli Apoſtoli, Deo coniunctiſſimi, monimentis conſignatam, & in ſanctiſſimis viris, paſtoralium laudum celebritate claris, impreſ-

preſſam, tu hoc ſummo reip. Chriſtianæ tempore non ſolum iſto egregio animo tuo iam pridem conceperas; ſed maximis vigilijs, perenniq. labore quotidie ſtudes, omni vitæ religione, morum caſtitate, & pie ſanĉteq. factis tuis exprimere. Id autem pro regni Chriſti propagatione, proq. Eccleſiæ catholicæ ſplendore ſicut diuine agis; ita, cum iam initia hæc præclare ieceris, magna cum teſtificatione cæleſtium virtutum tuarum, non ſolum in ijs inſiſte; ſed ſic progredere perpetuo, vt, quod facis, in ſanĉte agendo ipſe tibi præſcribas nullos progreſsionum fines. Ego verò, incredibili iſto religioſæ mentis tuæ ardore in dies vehementius inflammatus, illud conabor, in omnesq. partes enitar, vt PASTORALES LIBROS, qui in magnis & latinorum, & græcorum patrum voluminibus continentur, quàm primum, vt diligentiſſime poſſum, perbelle contexam: quò cumulatius ipſe habeas, vnde ornamenta ſumas, quibus plane excolas germanam iſtam, quam egregijs inſtitutis, atque exemplis imitaris, ſanĉtiſſimi, religioſiſsimiq. epiſcopi effigiem. Non committam tamē vllo pacto, vt illis non hunc præterea, vere aureum librum, ſemper adiungam: præſertim cum in eò maximus illarum partium ſplendor eluceat, in quibus perpetuus eſſe debet epiſcopalis officij curſus. Vale patrone optime.

CAROLO
AMPLISS. CARDINALI
S. PRAXEDIS,
ARCHIEPISCOPO MEDIOLANI,
AVGVSTINVS VALERIVS,
VERONAE EPISCOPVS
S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISCOPVM depinxi, aut potius delineaui: cuius perfecta, & abſoluta forma apud Deum in cælis eſt; quæ in terris eluxit, cum princeps paſtorum, virtutum omnium exemplar, CHRISTVS Dominus in terris viſus, & cum hominibus conuerſatus eſt. Eandem ab initio naſcentis Eccleſiæ, legati eius propagatores Euangelij, optimi magiſtri, diligentiſſimi imitatores, ſancti Apoſtoli expreſſerunt, vt CHRISTI ſponſa ſtabiliretur, & ornaretur; omnium autem maxime, beatiſſimi Apoſtolorum principes, Petrus & Paulus, in quibus Epiſcopales omnes virtutes eluxerunt. Multorum annorum ſpacio, maximo cum animarum detrimento, & cum piorum hominum dolore, huiuſmodi figura penè latuit. Adulta iam Eccleſia, conſeneſcente Mundo, hac iam decrepita ſæculi ætate, pulcherrimæ formæ, æternus Paſtor, CHRISTVS, vt imminentibus periculis, & varijs calamitatibus populi ſui conſuleret, mirabile deſiderium in animis multorum excitauit.

citauit. Sanctus Spiritus in Concilio Tridentino, & in permultis alijs, eandem figuram propoſuit. Tu vir deſideriorum, figura Epiſcopi, ex beato Paulo deprompta, te valde dixiſti delectari: eam deſcribebas. indicabas etiam, tibi gratum fore, ſi tibi quiſpiam illam deſcriberet. Cum autem ad perfectam formam, quam quærimus, optimorum virorum iudicio, proxime accedas, vt pene iam in te vno expreſſam illam videamus; hanc, quam deſcripſi, ſæpe inſpicito; vt eam adhuc magis exprimas, & tua expreſſione, & exemplo, plerique noſtrum excitati, qui inde longe abſumus, ad eam propius accedamus. Vale.

EPISCOPVS.

QVID ago? formam Epiſcopi, quam verbo & exemplo expreſſit Chriſtus Princeps Epiſcoporum, & ſancti Apoſtoli retulerunt, conor ipſe inueſtigare, et conor ipſe oratione exprimere? Ipſe ſuſcipio rem tantam, quantam non modo facultate conſequi, difficile eſt; ſed vix poteſt quiſpiam cogitatione complecti. Magnum & arduum opus aggredior, non nego: ſed nihil eſt difficile quærenti gloriam Dei. Ego hac mea delineatione neminem doceo, me ipſe hac ratione accuſo, me ipſe excito, me ipſe inſtruo. Sed iam, vnde neceſſe eſt, ſumatur exordium: et dicatur de origine Epiſcopatus aliquid.

Miſericors, & miſerator Dominus pro ſua clementia humanum genus, primorum parentum inobedientia, et Sathanæ aſtutia, a beata patria, ad quam creatum fuerat, eiectum, & omnibus bonis ſpoliatum in priſtinam dignitatem reſtituere, & ad cæleſtis patriæ fruitionem iterum inuitare cum ſtatuiſſet,

vt Diuinæ iuſtitiæ ſatisfieret, miſit vnigenitum filium ſuum, qui exinaniret ſemetipſum, formam ſerui accipiens; et humilitatis, obedientiæ, charitatis, & aliarum virtutum exempla exhiberet; & quæ in cælo, quæq. in terris ſunt, admirabili ſapientia pacificaret: Pontifex verus; qui ſciens compati infirmitatibus humanis, exemplo & verbo gregem ſuum paſceret; & pro ouibus, quæ perierant, animam poneret; easq. precioſiſſimo ſuo ſanguine redimeret; neque ceſſaret, vt non ceſſat adhuc, interpellare pro populo, pro animabus, quas ipſe redemit; quæ ne perirent, neue communis hoſtis Sathanæ fallacijs deceptæ, Crucis vexillum deſerentes, præcipites in varias miſerias, & calamitates ruerent, idem æternus Paſtor, Dei filius, Saluator noſter, gregem ſuum non deſerens, legatos, ſeruos, paſtores, & ſpeculatores ſuo loco ſuffecit, qui ſuas vices gererent; & Dei voluntatem, legatione fungentes, liberè explicarent; vitam æternam credentibus, & fidem opere præſtantibus, annunciarent; inſidias acerrimorum inimicorum, quibus genus humanum oppugnatur, aperirent; propoſitisq. pœnis Inferni, homines a peccatis deterre-

rerent. Elegit ſeruos, ac miniſtros, qui Dei præcepta ſeruantes, alios ad eadem ſeruanda impellerent; eius Sponſæ, ſanctæ matri Eccleſiæ, quam eximio amore diligit, miniſtrarent; omnia pericula adirent; ignominias, calumnias, opprobria, carceres, exilia, tormenta, mortem etiam ipſam, vt animas Chriſto lucrarentur, non recuſarent. Miſit Paſtores, vt paſcerent gregem concionibus, paſcerent familiaribus ſermonibus, paſcerent exemplo & ſanctitate; ſanctiſſima Sacramenta, ſalutares medicinas, ad ſanandas, ſuſtentandas, & corroborandas animas exhiberent; deinde, ſi opus eſſet, Principem Paſtorum imitati, animas pro ouibus ipſius ponerent. Eoſdem Speculatores poſuit, qui eius gregem a lupis defenderent; animas a Sathanæ tyrannide, a fallaciſſimis Mundi conſilijs, a pernicioſa naturæ lena, voluptate, auerterent. Atque inde in Eccleſia Dei, vſitata illa nomina orta ſunt, vt ſint, qui appellentur, pro Chriſto legatione fungentes, ſerui Chriſti, Paſtores, Speculatores, Epiſcopi, qui iidem patres, magiſtri, et medici populorum nominarentur. quorum Epiſcoporum ſollicitudo, parochorum,

quibus hæc eadem nomina ex parte conueniunt, cura, et diligentia adiuuatur. Et quamuis qui legatione pro Chriſto funguntur, Chriſto etiam ſeruiant, vt Domino, & ſuæ legationis auctori; & qui ſeruiunt Chriſto, oues Chriſti, populum Dei, paſcunt; et cum paſcant, interdum cibos ad nutriendum, interdum medicamenta ad ſanandum adhibent; & quia in eo paternam charitatem præ ſe ferunt, & veluti magiſtri filios ac diſcipulos erudiunt ſuos; ex eo etiam fit, vt patres, medici, et magiſtri, merito appellentur; cumq. hæc omnia præſtent episcopalis muneris officio, cuius eſt, ea ſemper explorare, quæ populis prodeſſe poſſint, ita vt hæc ſingula nomina, virtute in ſingulis contineantur: tamen, vt breuitati, quæ ſi cum perſpicuitate coniungatur, admodum amabilis eſt, ſtudeamus; formam, ſiue ſpeciem legati, formam ſerui Chriſti, formam boni paſtoris, patris, medici, et magiſtri populorum, formam perfecti Epiſcopi, ſeparatim, ſi placet, proponamus.

Legationis munus eſt valde nobile, quandoquidem qui legati mittuntur, fidei, probitatis, atque etiam prudentiæ teſtimonium ab illis

liſ videntur conſequi, a quibus eis legationes ſunt demandatæ: et quo a potentioribus Principibus miſſi ſunt, eo nobiliores legationes exiſtimantur: cuius muneris tanta eſt præſtantia, vt Legati, aures, oculi, os Principum, appellentur. Jn omnibus autem legationibus conſiderari hi loci ſolent. Qui mittatur: a quo mittatur: ad quos: & quo tempore. Homo, cinis, puluis, mortalis, multis peccatis contaminatus, varijs vitæ periculis expoſitus, infirmum animal, ad tantam dignitatem euehitur, vt legatus fiat Dei, Patris illius cæleſtis, cæli & terræ Domini; fiat nuncius verbi æterni, immenſæ illius ſapientiæ Ieſu Chriſti. Homo, inquam, humi ſtratus; fit interpres Spiritus ſancti, & doctrinæ, quam ſponſæ Eccleſiæ, cui ſemper aſſiſtit, ille ſuggerit. Creatura fit oculus Creatoris, fit os ſanctiſſimæ Trinitatis. Legationem vero, quam deſcribimus, quis inſtituit? Cæli & terræ fabricator, rerum vniuerſitatis pater, & conſeruator, bonarum rerum omnium auctor, et magiſter, princeps pacis, largitor quietis Deus; qui poteſt omnia, qui ſcit omnia, cuius voluntate aut permiſſu fiunt omnia; Rex Angelorum, cæleſtis eccle-

ſiaſticæ Hierarchiæ moderator, et rector. Ad quos autem inſtituta eſt hæc tam nobilis, tamq. admiranda legatio? Ad imaginem Dei, ad animas ad æternitatem creatas, precioſiſsimo Chriſti ſanguine redemptas, ad Sathanæ tyrannide oppreſſos homines, ad peccatores, ad proprios inimicos, legatio inſtituitur. Res mirabilis, ſummum Diuinæ clementiæ teſtimonium. Huius eximiæ legationis, cuius ſcopus eſt, vt ſedes Angelorum impleantur, vt infœlix animal homo, dignitatem, quam proprijs peccatis amiſerat, recuperet, & perpetua beatitudine fruatur, multæ ſunt partes, quæ in ſacris libris expreſſæ ſunt: ſed ad ſex potiſsimum capita, vt magis memoriæ imprimantur, redigi poſſunt, quæ primum ſanctiſsimæ Trinitatis legatus, Chriſtus Dominus, Redemptor noſter tractauit; tractauerunt deinde ad eius imitationem ſancti Apoſtoli: hoc autem tempore diligentiſsime ſunt explicanda, quia Mundus iam conſenuit, quia maxime furit Sathanas, ſceleſtam nouitatem, multarum calamitatum altricem, diſſeminans, quia iam innumerabilibus peccatis hoc miſerum ſæculum quàm maxime laborat. Inde perſpici

poteſt,

poteſt, qualem eſſe deceat legatum ſanctiſſimæ Trinitatis; quanta humilitate, quanta temperantia, quanta charitate, quanta ſanctitate præditum; de pace cum Deo, non cum Regibus ſæculi, multarum rerum egentibus, tractantem; non de conſeruatione, aut recuperatione libertatis humanæ, & de commodis huius vitæ, ſed de cæleſti poſſeſſione, et de æterna gloria agentem; idem denique munus, quod Chriſtus homo in terra obiuit, obeuntem. Ad illum ſanè pertinet, honorem Chriſti, a quo miſſus eſt, proponere; ſanctiſſimam, quam ipſe ſanguine ſuo inſtituit, & confirmauit, religionem tueri; ſceleſtos Sathanæ conatus, & hoſtiles impetus aperire, et retardare; illecebras voluptatum coercendi viam commoſtrare; libere loqui; ac ne mortem quidem pro tuenda gloria illius, pro quo legatione fungitur, formidare. Quod ſi quis ſine Vicarij Ieſu Chriſti, Romani Pontificis auctoritate, & iuſſu, tam nobilem legationem ſibi arrogans, nec miſſus ad prædicandum proſiliret, et in aliqua earum rerum, quas commemorauimus, deeſſet, ementitæ legationis merito poſſet accuſari, & grauiſſimis pœnis condemnari. Romanum enim

enim Pontificem, vt Epiſcopum Epiſcoporum, hæredem Apoſtolorum, ſucceſſione Petrum, et unctione veluti Chriſtum agnoſcit Eccleſia: a quo, tanquam a capite, omnes legitimæ legationes, & omnia munera in Eccleſia Dei proficiſcuntur; ceteri in partem ſolicitudinis vocantur. Romanus vero Pontifex, eſt Pontifex ſummus, in plenitudinem poteſtatis uocatus. quod etiam veteri lege adumbratum ſcimus, in qua legimus Dominum Moyſi; ita præcepiſſe: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint, ac magiſtri: & auferam de ſpiritu tuo, tradamq. eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris. Populus Chriſtianus ouile vnum eſt; oues omnes vni conceſſæ à Chriſto ſunt, vni creditæ, Petro nimirum; vt qui ſingulorum gregum curam ſuſcepturi ſunt, à Principe paſtorum legari, et eius nutum ac imperium reuereri, maieſtatemq. conſeruare debeant. Eius igitur, qui eam ſedem tenet, voluntatem, atque authoritatem Epiſcopus, vt fidelis legatus, ſequi debet. Cuius legationis hi ſunt præſcripti termini, vt nihil vnquam dicat, quod a tantæ

lega-

legtaionis munere alienum ſit, aut ab ea doctrina, quam Chriſti ſponſa, ſancta mater Eccleſia profitetur. Eum autem in dicendo modum teneat, vt fucum orationis, omnemq. oſtentationem fugiat. Hæc autem legato Chriſti ſunt propoſita legationis capita, quæ temperato & graui dicendi genere, ita exponet: Hæc Rex Regum, Dominus dominantium, qui vos in ſeruos ſuos dignatur aſſumere, iuſſit, vt vobis annuntiem, ſempiternas illas pœnas, quibus genus humanum erat obnoxium, Dei clementia eſſe ſublatas; veniam vobis datam peccatorum; ſanctificatos vos eſſe, redemptos precioſiſſimo ſanguine agni immaculati Chriſti; paratam uobis eſſe cælorum hæreditatem; Chriſtum Deum, vos fratrum loco habere; iam uos Deum patrem poſſe appellare; ſocios futuros uos Angelorum; Spiritus ſancti participes; beatitudinis cæleſtis, & gloriæ poſſeſſores: hac legatione, hæc bona omnibus, qui Deum amauerint, qui Sathanam auerſati fuerint, offeruntur. Ad quæ confirmanda, graui admodum oratione, uerba Chriſti, pro quo legatione fungitur, quibus ſumma totius legationis comprehenditur, ponderare, atque

ita Chriſtum, illos alloquentem facere, poterit; quia magnam uim ſolet habere, hac utens forma dicendi. Chriſti Dei filij, humani generis Redemptoris, magiſtri veri, veſtræ ſalutis cupidiſſimi, hæc ſunt verba: ea veſtris in animis imprimite, vobis ipſi conſulite. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: Non poteſtis duobus domini ſeruire, Deo, & Mammonæ. Qui diligit me, ſermones meos ſeruabit, & Pater meus diliget eum. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam; et ſequatur me. Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam. Sanctus Paulus nobiliſſimus Chriſti legatus, qui ſermonibus, & epiſtolis etiam legatione pro eodem Rege noſtro functus eſt, vt alios nunc omittamus, ea legationis capita grauiter admodum explicauit, cum primum dixit: Sine fide fieri non poſſe, vt quis placeat Deo, fidem fieri ex auditu: deinde, cum alibi dixit, explicans vim verbi Dei, illud eſſe penetrabilius omni gladio ancipiti: &, cum multifariam, multiſq. modis olim locutum eſſe Dominum in Prophetis, nouiſſime autem diebus iſtis in filio; quaſi diceret Sanctus Apoſtulus: Cæleſtem

ſtem

ſtem epiſtolam, quam ſanguine ſuo ſcripſit Chriſtus, qua ad amorem Dei excitamini, legite fratres: alioquin, niſi eam legeritis, ex Deo non eritis; Deum enim videbimini contemnere, more illorum, qui a ſanctæ matris Eccleſiæ gremio diuulſi, eam, cuius lacte enutriti ſunt, deſerentes, vere Deum patrem appellare nequeunt. Secundam legationis partem explicans, & hortans filios ſuos, vt vni Domino ſeruiant, relicto Mammona, his verbis tractat: Eſtotes imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuauitatis. fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent, ſed magis gratiarum actio. Et alio in loco, eandem legationis partem explicans, dicebat: Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis. Atque ad hanc ſententiam confirmandam Chriſti legatus commode dicere poterit; Sathanam eſſe lupum rapaciſſimum, qui ſemper molitur, qua ratione poſſit, ouem ali-

quam Chriſti rapere, nec ſolum lupum, ſed etiam ſerpentem, draconem, & leonem ſemper circumeuntem, et quærentem, quem deuoret, eſſe principem latronum, homicidam, mortis auctorem, arrogantiæ magiſtrum, ad omnia ſemper ſcelera incitatorem, humani generis hoſtem, adulatorem, mendacem; eius habitationem eſſe peccatum; inde fieri, vt qui eum conculcare deſiderat, prius peccata ſua conculcet, neceſſe ſit: Sathanæ arma eſſe pugnas, inimicitias, bella, diſsidia; contentiones, flagitia, omnia ſcelera, Sathanam humano generi quotidie inſidias, & laqueos tendere, vt illud in tyrannidem ſuam redigat, vinci non poſſe niſi a Chriſto; aſtutiſsimum humani generis hoſtem ab Imperatore Chriſto fuiſſe profligatum; qui Imperator cum deſides in militiam ſuam non admittat, ideo certamen eſſe neceſſarium; arma eſſe orationes, lachrymas, ieiunia, opera pietatis; coronã, non niſi certãtibus, eſſe propoſitam. Et quoniam Sathanæ diſcipulum non improprie nominauerimus Mundum, cuius inconſtantiam & vanitatem legatus Chriſti ſanctus Paulus expreſsit illis verbis: Præterit figura huius Mundi. Legatus, quem deſcribimus,

com-

cõmemorabit ſæpe, gloriã Mundi eſſe, ſicut florem fœni, eſſe fumum, eſſe etiam veluti ſonitum; citiſsime tranſire; nihil in Mundo eſſe ſolidum; Mundum eſſe inexcuſabilem propter Euangelij prædicationem; qua veritas omnibus eſt patefacta, & via cæli, & inferni indicata. Cum vero beatus Paulus tertiam explicaret legationis partem, ita ſcribebat: Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Et alio loco, Finis præcepti eſt charitas de corde puro, et de conſcientia bona, & fide non ficta. quod legationis caput maxime expreſsit admirabile illa charitatis commendatione, cum, enumeratis effectibus fidei, dixit: Si charitatem non habuero, nihil ſum, ſum veluti cymbalum tinniens. quem locum neceſſarium grauiter admodum explicare poterit legatus Chriſti, hoc præſertim tempore, quo verbis, ſermonibus, & libris docere magis ſtudemus, quàm exemplo, & virtutibus. Iteret, eum vere diligere Deum, qui eius ſermones ſeruet, qui ſanctiſsima eius præcepta cuſtodit, qui ſtudet is eſſe, qui haberi cupit; qui ad vitandum periculum ſuperbiæ, negligit haberi, qui eſt: patrem Chriſti, qui idem eſt pater noſter,

ſter, cæli & terræ Dominum, diligere ſermones eius, non docentes tantum, non diſputantes, non pulcherrimos libros ſcribentes, non ingenium, iudicium, & alia bona, quæ ipſe largitus eſt, oſtentantes, ſed fidem in vnigenitum filium eius Chriſtum, operibus præſtantes. Cum vero quartum legationis caput ſuſceperit explicandum Chriſti legatus, facillime oſtendere poterit, peccatum hominem ſeruum efficere, cum mentem priuet lumine, voluntatem debilitet, aut captiuam potius efficiat, rationem perturbet, miſerum hominem reddat, ſit velut putredo animæ, qua paulatim corrumpitur, & qua imago ac ſimilitudo Dei deturpatur. quod quidem fit, cum ille propriæ nobilitatis oblitus, morum ſimilitudine, ex homine fit leo, aut lupus, aliudue immundum animal; cæleſtis hæreditas amittitur; iterum, quantum in peccatore eſt, Chriſtus crucifigitur. Infœliciſſimum peccati comitatum commemorabit, perpetuam animæ ſolicitudinem, infamiam. Hunc locum ſanctus Paulus egregie tractat, illis verbis: Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? nam finis illorum mors. & alibi: An neſcitis, quoniam iniqui Regnum

Dei

Dei non poſsidebunt? Quintam de ferenda Cruce nobiliſsimam legationis partem expreſſit, idem S. Apoſtolus cum dixit: Patientia vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes reportetis repromiſsionem. et alio in loco: Tribulatio, patientiam operatur, patientia ſpem, ſpes vero non confundit: & ſuo exemplo alios hortans, quod magnam vim ſolet habere, dicebat: Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi Mundus crucifixus eſt, & ego Mundo. Calumnias, opprobria, carceres, verbera, naufragia conſtanti animo tulit: eaq. interdum commemorabat, vt ſalutarem hanc de ferenda Cruce ſententiam in animis audientium imprimeret: Omnes, qui volunt pie viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur. In tanta huius vitæ perturbatione, in tanta rerum varietate, & inconſtantia, inter tot miniſtros Sathanæ, & Eccleſiæ ſanctæ Dei inimicos acerrimos, quinta hæc legationis pars eſt maxime neceſſaria. Quare ſæpe, & pluribus modis, legatum eam tractare oportet, & hortari, vt vnuſquiſque tollat crucem ſuam, & ſequatur Chriſtum. Crux eſt, ſeruire hominibus; crux eſt, imperare alijs; crux, ſiquis

ſiquis recte conſideret, adoleſcentia; crux iuuentus, crux ſenectus, crux paupertas, crux diuitiæ, crux inſcitia, crux doctrina ſine humilitate, crux Regnum, crux magiſtratus Rerum pub. crux maxime Epiſcopatus. Hac enumeratione facta, dicat Chriſti legatus, propriam voluntatem abnegandam, ſuam crucem tollendam, veterem hominem cruci affigendum, moleſtias huius peregrinationis æquo animo eſſe ferendas, condiendas charitate, ſequendum Chriſtum, quem qui ſequitur, non errat; illum eſſe viam huius noſtræ peregrinationis, et terminum viæ; præcipitē ferri, qui aliud quam ipſe oſtenderit, iter ingreditur. Sextum legationis caput, quod erat, vt vnuſquiſque uigilaret, exponens Apoſtolus, verbis illis eſt vſus: Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, quia propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus. quod adhuc magis exprimens, ſcribens ad Timotheum, dicebat: In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora pericoloſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores,

timi-

timidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes: & hos deuita; ex eis enim ſunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs deſiderijs, ſemper diſcentes, et nunquam ad ſcientiam peruenientes. Illis etiam verbis ad vigilandum valde incitat: *Dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet: cum enim dixerint, pax, & ſecuritas, tum repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugient.* Ad quam partem pertinent etiam illa verba: *State & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.* Quibus maxime vti debet hac tempeſtate Chriſti legatus, qua, profana nouitate, ſponſam Chriſti perturbare, et populum Dei peſte hæreſum commaculare, ſceleſti & impuri homines non deſinunt. Vnde tot Prouinciæ e gremio matris ſuæ, ſancta videlicet & Apoſtolica ſede, miſerabiliter abſtractæ ſunt. Quotidie nos mori dicet, ſingulos properare ad mortem, latere mortem in inſidijs, ideo aſpirandum ad vitam, moleſtijs vacuam, nullis rebus indigentem; non parce-

re ætati, non parcere diuitibus, non parcere Regibus. Has ſex legationis præſtantiſſimæ partes, qui ea, qua decet, grauitate & prudentia tractat, cauſam communis Domini agit, procurat maxime gloriam Chriſti, & commodis, ac ſaluti populi, ad quem eſt miſſus, quod eſt proprium huius Epiſcopalis legationis; conſulit. Illis enim capitibus, ad verbum Dei, & ad ſalutaria omnia præcepta continentur hortationes; commendationes fidei, ſpei, charitatis et omnium virtutum Chriſtianarum. De innumerabilibus, quæ in genus humanum cæleſtis pater Deus contulit, beneficijs, de contemptu mundi, de omnibus, vt vno verbo dicam, quæ ad ſalutem pertinent animarum, ea capita explicans Chriſti nuncius, poterit dicere, modo ei ſoli, a quo miſſus eſt, non eis, ad quos mittitur; nec ſibi placere ſtudeat: Me miſerum, legatum Chriſti effingo, non præſtitæ legationis me accuſo. clamaui interdum, ſed ceſſaui. Vtinam non placuerim mihi, & non ſtuduerim alijs etiam placere; cum ſolum Deo placere, mihi, et alijs, qui ad id onus mittuntur, deberet eſſe propoſitum. Iam ſerui Chriſti formam proponamus.

mus. Is proprie dicitur ſeruus, ut nomen etiam indicat, qui ſeruat ea, quæ Dominus iuſsit; ita vt ſerui Dei appellandi ſint ij, qui iuſſa Dei exequuntur. Qui autem eius præcepta, qui Decalogum, epitomem omnium rerum agendarum, non ſeruant, qui Sathanæ miniſtrant, eius ſuggeſtionibus conſentiunt, & ad capiendas animas famulatum ſuum præbent, ij præſtantiſsimo nomine ſeruorum Dei indigni cenſentur. quorum ſeruorum ea eſt nobilitas, atque præſtantia, vt ſancta mater Eccleſia, Spiritu ſancto edocta, ſeruire Deo, regnare dixerit. regnant enim et ſine metu regnant ſerui Dei, cum tanta ſit Regis Regum benignitas atq; clementia, vt ſeruos ſuos amicos nominet; filios, & hæredes cæleſtis patriæ efficiat. Nobiliſsimo autem nomine ſerui Dei imprimis eſt appellandus ille, qui non ſolum præceptis diuinis obtemperat, ſed conſilia etiã Chriſti ſequens, pro eius ſponſa, pro ſancta Eccleſia, pro animabus, Chriſto acquirendis, ſe in omni vita laboraturum eſt pollicitus. in quo egregias virtutes, et admirabilem perfectionem ſanctus requirit Spiritus. Hæ vero ſunt propriæ ſeruorum Dei virtutes, fidelitas,

conſtantia, diligentia, ſed in primis amor, qui exhibetur non ſolum in ſeruiendo Domino, ſed illis, quos ille charos habet. Fidelitatis & ſinceræ virtutis hoc eſt indicium, cum pro commodis, ac ornamentis illorum, quibus ſeruiunt ſerui ipſi, nullum tormentum, ne mortem quidem ipſam, ſubterfugiunt, & minime ad oculum ſeruiunt: quorum ſeruorum pauciſsimus eſt numerus. Sanctus vero Paulus, qui eximiam Dei bonitatem agnouerat, pro Chriſto ſibi ferenda omnia, et mortem etiam alacriter oppetendam iudicauit, & ſe bonum ſeruum oſtendit. Fideles etiam ſerui fuerunt ceteri omnes Apoſtoli, & plurimi eorum imitatores, & alij, qui, ſpretis omnibus huius vitæ commodis, morte contempta, tyrannorum ſæuitiam minime formidantes, vt Chriſtum coram hominibus confiterentur, martyrij coronam reportarunt, vltro ſe cruciatibus omnibus obiecerunt. Cum autem illi, qui eſt ſolus Dominus, ſolus altiſsimus omnes creaturæ ſeruiant, ac nemo ſit qui aliquo ſeruitutis genere non comprehendatur, nullum hominum genus magis proprie Deo ſeruire dicitur, quam eorum, quis Ordinis ſacramento nobilitati, populo Dei miniſtrant. Ad

quod

quod ſanctum miniſterium, vocatus, Sanctus Paulus; nobiliſsimo hoc maxime inſignis ſeruitutis titulo ſeipſe ſepæ nominauit, his verbis: Paulus ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtulus, ſegregatus in Euangeliũ Dei: & teſtis eſt enim mihi Deus, cui ſeruio. quam rem pluribus uerbis explicans, dixit: Cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci: vt plures Chriſto lucrifacerem: & factus ſum Iudæis, tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer, ijs qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, cum ipſe non eſſem ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant lucrifacerem; ijs qui ſine lege erant, tamquam ſine lege eſſem, cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti, vt lucrifacerem eos qui ſine lege erant; omnia omnibus factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Cui beatiſsime Paule, fœliciſsime ſerue, lucrifaceres? tibi certe minime, omnium, vt te ipſe appellas, minimo, ſed illi, quem Paulo ante nominaſti, Chriſto, cui ſeruiuiſti ex animo, pro quo eſuriſti, ſitiſti, colaphis cæſus es, incertis ſedibus vagabaris, operans manibus tuis, maledicebaris & benedicebas, perſecutionem patiebaris & ſuſtinebas, blaſphemabaris & obſecrabas, tamquam purgamentum

tum

tum huius Mundi factus eras, & omnium peripſema, in omnibus te exibebas ſicut Dei miniſtrum, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in ſanctitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbis veritatis, in virtute Dei, per arma iuſtitiæ a dextris, & a ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt ſeductor, & verax, ſicut qui ignotus & cognitus, quaſi moriens, & ecce viuebas, vt caſtigatus, ſed non mortificatus, quaſi triſtis, ſemper autem gaudens, ſicut egens, multos autem locupletans, nihil habens, & omnia poſſidens. quæ tibi erant lucra, pro Chriſto arbitrabaris detrimenta; quia ſeruus Dei eras, hominibus non placebas. Serue Dei, qui raptus es ad tertium cælum, qui nunc ſanctiſſimo Trinitatis aſpectu frueris, bonarum omnium rerum auctorem illum ora, vt ſeruitutis, cuius exempla dediſti, imitatores habeas multos. Sed qui fieri poteſt, vt ſine lachrymis formam ſerui Chriſti exprimam, cum ipſe a nobiliſſimo hoc ſeruitutis genere longiſſime

abſim?

abſim? an non mihi ſeruio? non timeo verbum aſperum? an non ſum ingratus in Dominum, qui me tam nobili ſeruitutis genere nobilitauit? Sed iam audiam Paſtorem Paſtorum Chriſtum, ſeipſum exprimentem, & boni paſtoris formam, mihi & alijs Epiſcopis proponentem. Cognoſco, inquit, oues meas, & cognoſcunt me meæ: & alibi, Bonus paſtor ponit animam ſuam pro ouibus ſuis: quas cognoſcit, inſtruit, vt magiſter; reprehendit, arguit, monet, fouet vt pater; ſanat vt medicus. Is magiſter maxime laudatur, qui utilia, breui tempore, ſi fieri poſſit, ſine fuco & oſtentatione, & nullam exigens mercedem docet; & eo magis laudatur, quo ſuã doctrinam libentius communicat, nihil celans, & ad omnium ſe infirmitatem & captum demittens. Huius magiſtri formam expreſſit S. Paulus verbis illis: Ego, fratres, non potui uobis loqui, quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus; tamquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam, nondũ enim poteratis, ſed nec nunc poteſtis: adhuc enim carnales eſtis: & alio in loco, Facti ſumus paruuli in medio veſtri, tamquam ſi nutrix foueat filios ſuos, ita deſiderantes vos cupide videre, volebamus tra-

dere

dere uobis non ſolum Euangeliũ Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. Quo docendi munere fungens, alio in loco, paterno affectu, his verbis vtebatur: Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergo mẽbra Chriſti, faciam mẽbra meretricis? abſit. an neſcitis, quia qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne vna: qui autem adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt, fugite fornicationem: & paucis interiectis verbis, veriſsimam docet ſententiam: Empti enim eſtis precio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Cumq. omnia hominum genera inſtruere ſibi propoſuiſſet, ſingulos, & vniuerſos paucis verbis docet, cum dicit: Vnuſquiſq; in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat: ſeruus vocatus es? non ſit tibi cura. ſed et ſi potes fieri liber, magis vtere. Et docens patientiam, & æquitatem animi in hac communi quotidianaq. vita, maxime neceſſariam, præclariſſimũ hoc tradit præceptum: Debemus autem nos firmiores imbecillitatem infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Vnuſquiſque veſtrum placeat proximo, in bono ad ædificationem. Etenim

enim Chriſtus non ſibi placuit, ſed, ſicut ſcriptum eſt, Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. Elementum ſapientiæ Chriſtianæ, hoc eſt, humilitatem docens, documentum affert ſalutare, cum dicit: Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Eodem etiam magiſtri munere functus eſt, cum Principibus, & Regibus, & omnibus, qui ceteris dominantur, præcepta modeſtiæ, & charitatis tradit: cum ſubditos ad obedientiam, & ad honorandos eos, qui poteſtate præditi ſunt, inſtruxit: cum mulieribus documenta continentiæ, caſtitatis, & pietatis dedit: cum matrimonio iunctos, fidem et obſequium docuit: cum viduas ad orationem, ad ieiunia, ad opera pietatis, & ad alias excellentes virtutes excitauit: cum Virgines & laudauit, et in ſancto propoſito confirmauit: cum ſeruos, vt non ſeruiant ad oculum, ſed in Domino monuit: cum patres familias acriter reprehendit, qui filios ſuos non erudiunt: cum diuites ad moderationem, ad vitandam ſuperbiam excitauit: cum pauperes ad patientiam, & ad humilitatem hortatus eſt: cum denique omnibus hominum

generibus ſalutaria ad bene viuendum præcepta dedit. Cum de forma loquendi, qua vtebatur, diceret, his verbis eſt vſus: loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus, ſpiritualia ſpiritualibus comparantes. & eodem in loco: Veni non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ: idemq. alijs verbis exprimens, dicebat: Sermo meus, et prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus et virtutis. Quibus locis, quod ſit paſtorale docendi genus, facile perſpici poteſt: genus docendi minime vanum, ab omni oſtentatione alienum, ſalutaribus ſententijs abundans, ſpirituali facilitate, et ſuauitate plenum. Quid, paſtor infœlix, qui alios doceo, me ipſum non doceo? qui varietate ſententiarum, & multitudine verborum obruo potius animas Chriſti, quam inſtruo? Sed formam patris iam exprimamus. Quis ſperat amorem, quo, naturali quadam lege, pater filios complectitur, oratione conſequi poſſe? nullus, vt opinor: cum filius ſit patris portio, cum patres in filijs ſeipſos intueantur, ſibi ipſis indulgeant, vitam ſibi propagare, & quaſi immortales effici videantur:

deantur; quo fit vt ſuperbum animal homo, a nemine virtutibus ſe vinci libenter patiatur, aut confiteatur, niſi a filijs, quia re vera cum ab illis ſuperantur virtutibus, aut doctrina, vincere potius ſeipſos, quam vinci ab alijs putant. Quæ cum veriſsima ſint, de cibo, de educatione, de vita, de commodis, de exiſtimatione, de ſalute filiorum ſuorum, natura docente, ita ſunt ſolliciti parentes, vt eorum commoda, & ſalutem, ſuis commodis, & ſuæ ſaluti præferant; magnis laboribus, & ſollicitudinibus, eis victum quærant; omniaq. ſua ſtudia ad eorum commoda referant, nihil vehementius in hac vita optantes, nihilq. maiore aſsiduitate a Deo petentes, quàm vt eorum filij ſint, quàm beatiſsimi. Paternum hunc affectum, populorum pater expreſsit illis verbis: Non vt confundam vos, hæc ſcribo, ſed vt filios meos chariſsimos moneo: nam ſi decem millia pædagogorum habeatis, ſed non multos patres; nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui: ac ſi diceret: Parentes quidem filiorum ſuorum cauſa, multis moleſtijs & ſollicitudinibus afficiuntur: ſed illis delectantur, illis gaudent; quia pro liberis ſu-

ſcepta ſunt. quamquam enim curæ ipſæ amaræ ſint, quoniam tamen ad liberorum vtilitatem referuntur, voluptatem pariunt. Paternum amorem idem, ſummi Patris imitator, Paulus expreſsit, illis verbis: Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate? in ſpiritu manſuetudinis: & alio in loco, Quid dicam vobis? laudo vos in hoc? non laudo: & paternum amorem ſuum magis etiãnum exprimens dicebat: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis: currebatis bene; quis vos impediuit veritati non obedire? vtinam & abſcindantur qui vos conturbant. Et quia nihil eſt quod pater pro filiorum commodis nõ aggrediatur, paterno amore affectus vir idem ſanctiſsimus flectit genua ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur, vt det filijs ſuis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ virtutem corroborari per Spiritum eius in interiori homine. Audiamus ipſe, quod exemplum populorum pater exhibuerit. Quotidie morior, inquit, pro veſtra gloria, quam habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro: et alio in loco, Veritatem dico in Chri-

ſto,

ſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto, quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo; optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem. Optas nobilis Chriſti legate, optas fidelis ſerue, optas bone paſtor pro fratribus tuis, pro eiuſdem cœleſtis patris filijs, pro eiſdem Chriſti fratribus, pro filijs tuis, pro tuis ouibus anathema eſſe? cupis ſeparari a Chriſto? a deſiderato illo? priuatus luce cupis eſſe in tenebris? ſine duce cupis errare? ſine veritate uis decipi? ſine uita cupis manere in morte? quid cupis ſancte Paule? cupis tu pœnam anathematis, non culpam; quæris tu gloriam Dei, non tuam; communicari deſideras ſummam illam Dei bonitatem; perire cupis, vt multi ſalui fiant; optas, quod fieri non poteſt. Vas enim electionis es; raptus ad tertium cœlum uidiſti Dominum; parata quæ tibi erat, cæleſti hæreditate nunc frueris. Sed nunc admiror ego paternam tuam charitatem, & lugeo quia ab ea longiſſime abſum. Paſtor alit gregem ſuum, eiuſq. calamitatibus ſubuenit, Chriſtum imitatus, qui

ani-

animam etiã poſuit pro ouibus ſuis. Egregia exempla charitatis in populos præbuerunt Apoſtoli: qui Diaconos delegerant, qui uiduis, & pauperibus miniſtrarent; hæreditatem Chriſti, pauperum patrimonium, egentibus diuiderent; pauperibus ſua diſtribuerent. Paſtor ouium gregem ſuum, morbo aliquo affectum, ſanare ſtudet: paſtor animarum grauibus, & uarijs morbis, quibus conficitur grex, eius fidei commiſſus, medicamenta adhibet. Vt autem ars medica potiſsimum conſiſtit, in addendo quod deeſt, & in detrahendo quod abundat: ita medicina ſpiritualis in hoc maxime eſt poſita. Quare bonus medicus animarum, hortationibus, regulis uarijs Chriſtianos mores & pias conſuetudines ſemper conatur inducere, peccata, omneſq. peccandi occaſiones ſtudet euellere. Et ſimilibus fere inſtrumentis vtitur animæ medicus, vt medicus corporis; nam interdum quibuſdam regulis, ieiunijs, & abſtinentijs animam ſanat, varijs pœnitentijs purgat, ferro etiam interdum vtitur ad exſcindenda illa membra, quibus populus poſsit contaminari. Exemplar medicorum omnium fuit Chriſtus medicus, & medicina ſalutaris humani generis;

ris; quem ſanctus Paulus imitatus eſt maxime, cum populis, quos curandos ſuſceperat, omnium generum medicamenta adhibuerit: qui vtilitates ſanctiſſimorum ſacramentorum, quæ ſunt veluti ſalutaria medicamenta commemorat, vt pluribus in locis licet animaduertere: qui interdum triſtitia afficit eos, quos amat, quod fecerat, cum dixit: Si contriſtaui vos in epiſtola, non me pœnitet, etſi pœniteret, videns, quod epiſtola illa, etſi ad horam, vos contriſtauit; nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiã; cõtriſtati enim eſtis ſecundum Deum; vt in nullo detrimentum patiamini in nobis. Et alio in loco, acriori medicamento vtens, ait ſe tradidiſſe quoſdam Sathanæ, vt eorum animæ ſaluæ fierent. Imperitus ego animarum medicus quid dicam nunc, & in adhibendis medicamentis nimis admodũ cautus. De ſpeculatore animarum iam loquamur, qui nihil omittit eorum, quæ ad ſalutẽ animarum pertinent: qui, veluti zelotypus, vel minimos nutus, & leues occaſiones, quibus animæ a Sathana abſtrahi poſſent, obſeruat. Magna ſolicitudine animi explorat ipſe, & exploratores alios mercede conducit; ac, veluti ſol,

virtu-

virtutum radios per diœceſim ſuam emittit, ipſe charitate incenſus lucet doctrina, & charitate ardet. Formam Epiſcopi deſcripſit Paulus, nec deſcripſit ſolum, ſcribens ad diſcipulos ſuos, Timotheum, et Titum, quos Spiritus ſanctus, vt ipſemet ſcribit, poſuerat Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo, ſed eximijs etiam virtutibus ſuis expreſſit. Itaque gloriam dixit Epiſcopi, teſtimonium bonæ conſcientiæ in ſimplicitate, & ſinceritate Dei: Epiſcopum eſſe bonum odorem Chriſti eius: gloriam eſſe, filiorum ſuorum gloriam: laudem Epiſcopalis muneris, eſſe ſolicitudinem Eccleſiarum; Epiſcopum bonum, gloriam habere in infirmitatibus ſuis, & inhabitare in eo virtutem Chriſti, placere ſibi in infirmitatibus, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto. cum enim infirmatur, tunc potens eſt, ſcire egere, ſcire abundare, cupere diſſolui & eſſe cum Chriſto. interdum neceſſarium putare, manere in carne propter populorum ſalutem; abſentem etiam curam animarum habere; ineptas & aniles fabulas deuitare; exercere ſeipſum ad pietatem; attendere ſibi, & doctrinæ; inſtare in illis; vt ſeipſum

ſaluum

ſaluum faciat, & eos qui audiunt; manus cito nemini imponere, non cõmunicare peccatis alienis, ſeipſum caſtum cuſtodire, ſectari iuſtitiam, fidem, charitatẽ, manſuetudinem; bonum certamen certare, vt ſuperatis acerrimis inimicis, ſatellitibus Sathanæ, quibus ille miniſtris vtitur, ad perditionem animarum, vitam conſequatur æternam. Maxime etiam ad Epiſcopum pertinet, depoſitum cuſtodire; ſanctorum Apoſtolorum traditiones, vt uoces Spiritus ſancti, venerari; profanas uocum nouitates, noua omnia dogmata deuitare; ſtultas & ſine diſciplina quæſtiones fugere, quia inutiles & uanæ ſunt, & generant lites, & perturbant charitatem. Bonum opus, magnum laborem, magnam ſollicitudinem eſſe Epiſcopatum, ſanctus Epiſcopus Paulus ſcripſit. Epiſcopi autem formã depingit pulchris coloribus, ut ſit inreprehenſibilis, unius uxoris, ſobrius, prudens, ornatus, pudicus, hoſpitalis, procliuis ad docendum, non uinolentus, non percuſſor, ſed modeſtus, non litigioſus, non cupidus, ſed domui ſuæ bene præpoſitus, filios habens ſubditos cum omni caſtitate, non neophytus, ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat Diaboli: & addit, opportere il-

lum teſtimonium bonum habere ab illis, qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum Diaboli. Quid? oblitus eſt uir ſanctus, tanta humanitate ornatus, conditionis humanæ? irreprehenſibilem uult eſſe hominem, cum ſepties in die cadat iuſtus? cum ipſe princeps Apoſtolorum, Vicarius Chriſti reprehenſus ſit? Gentium doctor, mortalis peccati labe minime commaculatum uult eſſe Epiſcopum, aſſuetum tentationes ſuperare, & ſathanam uincere, ut ipſe inuictus Chriſti miles, & fortiſſimus athleta, uincere conſueuerat. Bigamos, ut continentiæ ſeruandæ parum idoneos, ad munus Epiſcopale, cui magnum caſtitas ornamentum affert, non admittit. Prudentiam requirit, ut qui multis præeſt, multorum etiam ſaluti conſulat, temporis rationem habeat, ſciat tacere interdum, ſciat ferre aliorũ impetus, ſciat deuorare ineptias, ſciat malitioſos conatus frangere. Ornatum requirit: quem ornatum? morum æquabilitatem, decorum, auream in omnibus rebus mediocritatem. Requirit in Epiſcopo pudicitiam, ut hac in re Chriſtum imitetur, ut dignitatem Epiſcopalem tueatur. Epiſcopalem uirtutem proponit hoſpitalitatem, ut

Chri-

Chriſti miniſter, Chriſti membra excipiat. Quoniam autem errorum plena ſunt omnia, et nouas quotidie falſitatis auctor fallendi artes excogitat; idoneum & procliuem ad docedum uult eſſe Epiſcopum, in lege Dei verſatum, illis inſtructum diſciplinis, quibus rectæ uitæ rationem populis poſſit oſtendere. Domeſticum dæmonem ebrietatem, quam parit vinolentia, videtur eijcere etiam ſanctus Apoſtolus, vnico verbo, cum dixit: Oportet Epiſcopum non eſſe uinolentum. *Cum autem maxime acerrimæ reprehenſiones & iurgia perturbent & irritent animas, Chriſti ſanguine redemptas, & nihil ſit modeſtia amabilius, vult eum eſſe non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, quia nuncius eſt pacis, quia nihil aliud debet ſtudere, quam populos Deo conciliare, non cupidum rebuſq. externis intentum, ſed auidum ſalutis ſuæ, & aliorum; ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentē ſubditos cum omni caſtitate: quia, ut ipſe alijs hominibus omnium virtutum propoſitum eſt exemplum, ita eius domus rectæ diſciplinæ debet eſſe veluti ſpeculum. Neophytum excludit ſanctus Apoſtulus, ne nouitas ſuperbiam afferat, ſuperbia vero calamitatem.*

Vltimo loco, vt omnibus nobiliſsimam Epiſcopi formam coloribus depingat, teſtimoniũ bonum habere ab ijs, qui foris ſunt, optat, vt non contemnatur, vt illum contemptum deſperatio, & laqueus Diaboli non conſequantur. Quid dicã ego? nonne ſanctus Epiſcopus Paulus, Epiſcopis exemplum propoſitum, per infamiam & bonam famam populo Dei conſuluit? mihi ipſi reſpondeo. fuere qui eum inſanire dixerunt: fuerunt qui eum, ita permittente Deo, calumnijs exercuerunt: at ſe mentiri, teſte conſcientia, nouerant. Poſtquam illi uoci, Saule, Saule quid me perſequeris? illis verbis reſpondit, Domine quid me vis facere? teſtimonium bonum habuit ab ijs, qui foris ſunt. Vixit ſine querela nullam occaſionem præbuit, qua quicquam de eo mali loqui, aut ſuſpicari poſſent homines. Exemplo docuit omnes virtutes, fidem, ſpem, charitatem, humilitatem, patientiã, perſeuerantiam, pudicitiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam: ſuis precibus alios ad orandum excitauit: ſua manſuetudine remittendas iniurias docuit: laboribus manuum ſuarum, quàm deteſtaretur otium, quàm contemneret diuitias, & huius ſæculi commoda, oſtendit. Omnium generum homi-

hominibus, Epiſcopis, Sacerdotibus, omnibus Eccleſiaſticis ordinibus, Regibus, Principibus, diuitibus, pauperibus, nobilibus, ignobilibus, uiris, mulieribus, et illis quidē viduis, matrimonio iunctis, virginibus, dominis, ſeruis, præcepta ad recte viuendum tradidit. Ipſe ſuccum veræ philoſophiæ, e cæleſti ſapientia, e cæleſti doctrina, e ſacris litteris, e diuino illo penu in ciuitates, & in priuatas domos deduxit: eius legatione ad amorem Dei quàm plurimos excitatos eſſe, & quotidie excitari; ſeruitute eiuſdem ad ſeruitutem Chriſti, non paucos incitatos, ſua paſtorali charitate ouile Chriſti auctum; eius demum ſollicitudine populū Dei propagatum, ſancta Chriſti ſponſa gaudet Eccleſia. Me indocilem, ne dicam, infœlicem, qui a Chriſto magiſtro, ab hoc beatiſſimo Apoſtolo, eius voluntatis interprete, tanto temporis ſpacio, ne elementa quidem paſtoralis artis didici. Iam vero non erit fortaſſe alienum, nec iniucundum, formam, quam varijs depingi coloribus, vno penicillo in breuiori tabula depingere. Id ego ſane libenter facio, vt mihi ſanctum Paulum, epiſcopalium omnium virtutum exemplar, nunc in primis ante oculos habenti, in animo magis

hæreat. Itaq. effingamus Epiſcopum, tam magno & plane digno officio dignum; et dicamus eſſe hominem, gloriam Dei ſemper ante oculos habentem, humana contemnentem, ſuam & aliorum ſalutem quærentem, labores, vigilias, famem, ſitim, omnia corporis incommoda, peruerſorum hominum, domeſticorum etiam, inimicorum inſidias æquo animo ferentem, perſecutiones, ergaſtula, vincula, ſi opus ſit, accuſationes, tribunalia, lapidationes, virgarum ſupplicia, cruciatus, pericula in terra, pericula in mari, naufragia, pericula fluminum, pericula ex genere, pericula ex falſis fratribus pro ſalute aliorum fortiter ſubeuntem: qui ſpectaculum Angelis, et hominibus, medius inter homines & Deum conſtitutus, pro ſua, aliorumq. ſalute, ſine intermiſſione orat, lachrymis diuinæ miſericordiæ ianuam minime claudi ſinit: qui infirmitate aliorum infirmatus, populorum ſcandalis vtitur: qui omnium generum hominibus, recte viuendi præcepta tradit, & documenta ſuis confirmat virtutibus: qui interdum gratias agit pro alijs, alios acriter accuſans, quoſdam gaudium ſuum, & coronam ſuam nominans, quibuſdam amentiam

ſuam

ſuam obijciens, nonnullis, rectum cæleſtis patriæ iter ingreſſis, comitem ſe adiungit: quorundam alacritatem ſua alacritate excitans, alios a recta via declinantes, in viam ducens, populum Chriſti tueri, et a Sathanæ inſidijs ſtudet defendere. ad perſeuerantiam ſuo exemplo exſuſcitans; ab Eccleſiæ communione, quantum in ſe eſt, magno tamen cum dolore, quoſdam, vt exemplo ſint ceteris, excludens: ſæpe negligentiam ſuam, ſæpe aliorum peccata lugens; aliquando ad auditorum captum ſe demittens, paulo poſt eos ſubuehens; virgam congruis temporibus minitans, ſæpe clementiæ ſpiritum præſeferens; apud arrogantes & elatos, quando opus eſt, ſeipſum efferens, apud humiles ſeipſum deijciens; vocans interdum ſe minimum Epiſcoporum, inutilem ſeruum Chriſti, humanas laudes fugiens, eas, vt flagella, exiſtimans, libera interdum voce vtens; documentum recte viuendi ſe daturum promittens, non immoderate hanc vitam plenam periculis, et ærumnis amans, cupiens aliquando diſſolui, ferens tamen ærumnas huius exilij; quia neceſſarium putat viuere ob aliorum commoda; infirmitatibus & afflictionibus ſuis,

vt

vt ornamentis glorians; in Chriſti Ieſu Domini noſtri mortificatione ſibi placens; non doctrina, non eloquentia, non diuitijs, non opinione hominum, ſed ſpiritualibus donis exultans; corpus, velut inſidioſum inimicum, & domeſticum aduerſarium, domans; priuatis commodis neglectis, aliorum commodis inſeruiens. Quibus bonis ornatus, quaſi immolat ſemetipſum Chriſto; tuetur ſponſam Chriſti Eccleſiam; nihil eum ſeparat a charitate Chriſti; eius anima eſt adamantina in tribulationibus; ſolicitudo Eccleſiarum vrget illum: & quoniam ſuo officio ſe deeſſe timet, nocte, & die ex eius oculis fontes exeunt lachrymarũ, quibus eius negligentia, & populi ſordes purgentur: nec neceſſario indulget cibo præ feruore, & ſtudio prædicandi; veluti ignis, diœceſim percurrit ſuam; nec infirmitatem corporis, nec multitudinem circunſtantium vndique negociorum cauſatur: quotidie ardentior aſſurgit, nulla pericula extimeſcit, noua ſemper alacritate cum inimicis Chriſti pugnat; periculorum, quæ euaſerit, obliuiſcens; noua, quando opus eſt, adit, in periculis ſibi placet; inter mundi, carnis, Sathanæ inſidias ouans,

de

de eorum impugnatione, Chriſto duce, victoriam ſemper ſperat; affectus iniurijs & maledictis, triumphat; paupertatem, quàm opulentiam; laborem, quàm requiem; mœrorem, quàm voluptatem libentius ſentit; ſtudioſius pro inimicis orat, quam pro amicis; nihil formidat, aut metuit, niſi offenſam Dei; imperia & regna, arenam putat; nihil aſperum, nihil ſuaue reputat: deſpicit vniuerſa, quæ cernimus; potentes viros, principes etiam, furentes populos, ſi contra Deum aliquid moliuntur, nihili facit; calumnias, ſupplicia, cruciatus, mortem etiam ipſam, quaſi ludum puerorum putat, dummodo propter Chriſtum aliquid ſuſtineat; dolorem gratiam nominat; quæ alijs cauſæ ſunt triſtitiæ, ipſi pariunt uoluptatem; conſolationem excipit ex lachrimis: triſtitia magna et continuus dolor ei eſt pro ſalute animarum; veluti pennatus orbem luſtrat; veluti incorporeus labores, et pericula adit; diligit inimicos, beneficus eſt in inſidiatores: quantò magis ipſi eius inimici inſultant, tantò magis eorum miſeretur inſaniæ, vt indulgentiſſimus pater afficitur erga filios, phrenesi comprehenſos: quorum quantò maiora ſunt conuitia, et ictus, tantò magis eorum miſeretur;

inſultantium filiorum ſuorum impetum retardat; aliquam ſemper reperit excuſationis ſpeciem, ne oriantur ſcandala, aut ipſi in deſperationem incidant; cum peccatoribus modeſte loquitur, timens ne humiliet eum Dominus apud illos: ab Eccleſiæ gremio ſeparat publicos peccatores cum lachrymis, et cum gemitu, quaſi omnes, qui in ſua diœceſi ſunt, genuiſſet, ita ſingulorum cauſa affligitur, ſic de ſingulis eſt ſolicitus, ſic ad regnum Dei ſtudet omnes adducere, docendo, pollicendo, terrendo; Sathanam, eiuſq. ſatellites fugando, idq. aſſidue, et diligẽter facit: ſollicitudine, vitæ exemplo, ſermonibus, & concionibus erigit laborantes, humi iacentes alleuat, ſanat contritos, torpentes excitat, inimicis Dei inſonat terribiliter, eos minaciter intuetur, non in ſpiritualibus ſolum, ſed in tẽporalibus etiam plurima ſollicitudinis ſuæ exempla præſtat: commendat interdum filios ſuos, exemplo ſancti Pauli, qui interdum Phœbem commendauit: Chriſti hæreditatem, patrimonium pauperum, vt fidelis Chriſti œconomus, diſtribuit: nullam ob cauſam, niſi ob ſua, aut aliorum peccata, dolet: ingemiſcit ſæpe tædio huius peregrinationis, & huius exilij; & mortis tenetur deſiderio; uarius

ac

ac multiplex, non diſsimulatione, ſed charitate; gloriatur interdum in Domino; recte facta patefacit, quæ audiẽtibus vtilitatem aliquam poſſint afferre; in contemptores mandatorum Dei acriter inuehitur, eos tradit Sathanæ ad ſalutem; cũ loquitur, nec ſibi placet, nec alijs ſtudet placere: fructum ex ſuis ſermonibus, non circunſtantis coronæ, applauſum quærit. Cum autẽ ad Epiſcopum maxime pertineat interpellare pro popolis, pro ſua, & aliorum ſalute ſacrificia offerre; in hoc diligentiam magnam adhibet: cauet ne deuotionis fons in eo ſiccetur, vino illo cæleſti corda hominum exhilarante, balſamo illo omnem morbum ſanante; deuotione nimirum, ſeipſe recreat; cum Deo ſæpe loquitur, ſanctiſſimum Moyſem imitans, qui dicebat; Aut parce populo huic, aut dele me de libro vitæ. Hic eſt oculus cæco, pes claudo, pater pauperum: hic cauſam, quam neſcit, diligentiſsime inueſtigat; conterit molas iniqui, & de dentibus eius aufert prædam; de manu huius ſanguinem popoli Dominus non requiret, quia dux eſt, & ſpeculator Eccleſiæ uigilans, cuſtos gregis minime cæcus, canis minime mutus, ſed latrans: hic paſcit gregem ſuum ex ſententia Apoſtolorum princi-

pis, quia non dominatur in clero, ſed forma ſit gregis ex animo. hic, quid interſit inter ſanctum, & pollutum, inter mundum, & immundum, minime eſt ignarus. hic non in muneribus iudicat, neque in mercede docet, ſed ad Dei gloriam, & ad ſuæ, aliorumq. animæ ſalutem refert omnia conſilia, & facta ſua. Hic ſacrarum Virginum defenſor, & tutor: hic hæreticorum, blaſphemorum, maleficorum, & ſortilegorum vindex acerrimus. hic vir Dei, Angelus Dei, ſanctiſsimæ Trinitatis nuncius, os Chriſti, eiuſdem fideliſsimus ſeruus, amicus, & frater, cohæres etiam futurus cæleſtis patriæ. hic paſtor animarum, magiſter in ſancta Eccleſia Dei, pater catholici populi, optimus animarum medicus. hic eſt Epiſcopus, animarum dux, prauorum morum extirpator, ſanctarum virtutum ſeminator, crucis Chriſti defenſor, verbi Dei prædicator, inuictus miles, qui, ſub vexillo crucis Chriſti militans, perpetuo contra ſathanam pugnat; qui eius diſcipulum Mundum, varijs modis animas Chriſti contaminantem, ſæpe confundit. hic eſt ſucceſſor Apoſtolorum, in partem ſollicitudinis Vicarij Chriſti vocatus, miniſter Chriſti in hac militanti Eccleſia, in il-

la autem triumphanti, ſanctorum Confeſſorum ſocius futurus: Hic diſciplina Chriſti orbis: hic ſalus Ciuitatum & populorum. Huic terribile eſt contradicere: non enim hunc viſibilem quis ſpernit, ſed illum inuiſibilem in eo contemnit, qui non poteſt a quoquam contemni. Hic eſt, quem deſcripſi, cuius figuram in exigua etiam tabella, mihi vni propoſui.

Clemētiſſime cæli & terræ Domine Ieſu Chriſte, vnigenite fili Dei, quando ego hanc ſpeciē Epiſcopi conſiderans, in ea, veluti in ſpeculo, pericula quæ mihi imminent, perſpicio, maximo mœrore confectus, pœnitentia, lachrymis, & ſollicitudine, mihi ipſi mederi, & proximam calamitatem auertere ſtudeo. Non intres Domine, in iudicium cum ſeruo tuo: non admittantur acerrimi illi accuſatores, quibus veluti caleſtibus orationibus vſus es, horribili illo die, quo aſtabimus ante tribunal tuum omnes, redditurí rationem noſtræ villicationis: ne audias Domine ſeruum tuum Malachiam, his verbis me acriter accuſantem; Noluit audire, noluit ponere ſuper cor, vt daret gloriam nomini tuo. maledices igitur illum, quoniam non poſuit ſuper cor. Claude eo die aures tuas Domine Exechieli

chieli dicenti; Seipſum paſcebat, & lac comedebat, lanis tegebatur, gregem non paſcebat, quod infirmum erat nõ corroborabat, quod confractum erat non obligabat, quod errabat, in uiam non adducebat, nec quod amiſſum erat, requirebat. Require oues, de manu eius, & illas ei pœnas irroga, quas æquum eſt irrogari. Non pateant aures tuæ Domine Hieremiæ, qui horribilia illa verba proferet; Stulte egit hic paſtor, te Dominum non exquiſiuit, ob eamq. cauſam, intelligentia caruit, populus diſperſus eſt, diſperſit oues ſuas, non congregauit: Vlciſcere. Dulciſſime Ieſu Christe per ſanguinem illum tuum precioſiſſimum, quo iuſtiſſimam cæleſtis Patris iram in genus humanũ mitigaſti, eumq. nobis reconciliaſti, hoc impetrem a te, ne admittatur ad me accuſandum Iſaiſas, cuius verba illa, terrorem mihi ſemper incutiunt; Non clamauit, ceſſauit, non quaſi tuba exaltauit uocem ſuam, non annunciauit populo ſcelera eorum. Audeo loqui Domine; Grex tuus, meæ fidei traditus, non tàm mea cura, quàm precibus ſancti Zenonis, & ſtudio, ac diligentia eorum, qui ante me fuerunt, ſanctiſſimorum Epiſcoporum, catholicus eſt: populus ſanctæ matris Eccleſiæ lacte

eſt

eſt enutritus; non prorſus intelligentia caret, non eſt omnino diſperſus; oues tuas, fateor, non paſco vt deberem, non clamo Domine, ceſſo Domine, fugio Domine verbum aſperum, non exalto uocem meam vt tuba, non annuntio populo meo ſcelera eorum; Zelus domus tuæ, ut comedere deberet, non comedit me. Ne dicas Domine tremendo illo die; Dixiſti, & non feciſti. Ne dicas; Dux cæce, nec te, nec alios, quò oportebat, duxiſti. Non cōfundar ego, nō confundantur fratres mei huiuſmodi vocibus ex ore tuo prolatis: Dixiſtis, & non feciſtis, duces fuiſtis cæcorum, mercenarij paſtores fuiſtis.

Princeps Paſtorum, ſacerdotum Rex, Sponſe Eccleſiæ, Epiſcoporum forma, & perfectiſſimum exemplar Chriſte, te iterum appello, ad te ueluti ad miſericordiæ fontem iterum atque iterum confugio. Illuminaſti tu orbem terræ, illuſtrati populos tuo lumine, purgaſti Mundum multis erroribus, innumerabiles animas ad cognitionem cæleſtis Patris tui adduxiſti. Tu ſal terræ, qui, tua ſapientia condiendum eſſe Mundum ſtatuiſti: tu uera lux, qui cognitionis lumine, & ardore charitatis, gentes in rectas uias duxiſti: tu, verus magiſter, artem artium paſcen-

ſcen-

ſcendarum animarum inſtituiſti: tu feciſti, quæ dixiſti: tu unico charitatis verbo paſtorale munus definiuiſti: tu dignitatem Epiſcopalem ſanctiſſimo Crucis trophæo nobilitaſti: tu lucrandarum animarum præclaram rationem docuiſti: tu paupertatem ditaſti: tu ex ſuperborum hominum inſolentijs, & calumnijs, maximarum virtutum fructus capi poſſe oſtendiſti: tu moderationis, tu zeli, tu hortationum, tu reprehenſionũ, tu prudentiæ, tu miſericordiæ, tu iuſtitiæ, liberalitatis, longanimitatis, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, perfectiſſimæ charitatis populis, ipſisq. in primis eorum Paſtoribus exemplum reliquiſti: nominaſti Apoſtolos tuos ſal terræ, nominaſti lucem Mundi: eos ſalutaris tuæ diſciplinæ ſucceſſores, vt ſaluum faceres orbem terræ, eſſe uoluiſti. Miniſtri tui ſerui tui, paſtores gregis tui diſpenſatores miſteriorum Dei, præcones cæleſtis patriæ, lucis Angeli appellati ſunt Apoſtoli tui, naſcentis Eccleſiæ Epiſcopi. Beatiſſimus ille Apoſtolorum chorus, ſanctam tuam, Domine, propagauit Eccleſiam: & magnis, uarijsq. itineribus, innumerabilibusq. huius vitæ difficultatibus, martirio etiam ipſo eam auxit. Multis annis, quibus iacta ſunt veriſſi-

mæ

mæ religionis tuæ ſundamenta, eiſdem creuit populus tuus, paupertate, laboribus, martyrio. Fuerunt in Aphrica, fuerunt in Aſia, fuerunt in Græcia, in nobiliſſimis vrbibus, qui legem tuam, & ſanctos Apoſtolos imitati, mortem pro nominis tui gloria non recuſauerunt: qui tyrannis fortiter reſtiterunt; qui odia Principum non extimuerunt; qui pro defenſione ſponſæ tuæ, contra hæreticos fortiter pugnantes, nec paupertatem, nec exilia, nec mortem formidauerunt. Nouos Abeles non ſemel, ſed per ſingulos dies immolatos; nouos Noe, abſque arca, qui vndas impietatis enauigauerunt; nouos Abrahamos, non modo a patria, & gente, ſed ab humana etiam vita abſciſſos; nouos Iſaac ſponte in hoſtiam oblatos; nouos Iacobos, quaſi pro totius Mundi grege inuigilantes; nouos Ioſephos, ſpirituali fame tabeſcente Mundo, veritatis alimenta diſtribuentes; nouos Moyſes, qui gentes a tyrannide Diaboli reduxerunt ad Chriſtum; nouos Aarones, totius Mundi populi inuictos ſacerdotes; nouos Phinees impietatem, quaſi fornicationem mentium, vno mucrone confodientes; nouos Dauides, qui Goliam, Sathanam ad certamen prouocauerunt;

Elias nouos, clarius raptos in cælum; nouos Eliſæos, qui gentes ab interiore pollutione mundauerunt, nouos Ezechias, qui ad vnam fidem Chriſti diuerſos populos attraxerunt; nouos Ioſias, qui abominationes deſolauerunt, et perdiderunt; nouos Ioannes pro Chriſto capite truncatos; nouos Gabrieles, qui Chriſti ortum cunctis gentibus nunciauerunt; nouos Michaeles, quibus datum fuit, vt eſſent Chriſtianorum duces, habuit ſancta mater Eccleſia, ſponſa tua, Apoſtolos, & Apoſtolicos viros; inter quos excelluit vas illud electionis, tuba illa Euangelij, rugitus ille leonis tui de tribu Beniamin, tonitrus ille gentium, flumen illud eloquentiæ Chriſtianæ, quem nobis exemplar propoſuiſti, ſanctus Paulus, eiuſdem humanæ naturæ infirmitatibus ſubiectus, quibus nos, ſed voluntate, et robore animi multò præſtantior. Non ſumus imitati egregiam formam: ego multò minus quam cæteri, non tàm quia non potuimus, quàm quia ſtudium & diligentiam adhibere noluimus. Adiuuas enim tu omnium inuocantium te in veritate, & pro gloria tua laborantium infirmitatem. Sed quid? numquid oblitus eſt miſereri Deus? miſeri-

cordiarum eius antiquarum memoriam deleuit obliuio? Clementiſsime Pater cæli & terræ, qui vt iuſtiſsimam iram, in genus humanum primorum parentum conceptam, deponeres, vnigenitum filium tuum, in Mundum miſiſti, vt Deus calamitatibus Mundi remedium afferret, & homo omnium virtutum exemplum relinqueret, vtq. paſtoralis muneris diſciplinam doceret, errantem ouem in viam reuocaret, orbi iam grauiſsimis morbis confecto, ſalutaria medicamenta proponeret, atque etiam afferret. Quid? miſerum ſæculum, plebs tua, animæ imagine & ſimilitudine tua decoratæ, precioſiſsimo immaculati Agni ſanguine redemptæ; quid cæli, & terræ Domine, mortis deſtructor, Sathanæ debellator, patieris dominari Sathanam? feres populum tuum, gregem tuum perire? ſponſæ ſeruorum tuorum Epiſcoporum, pro quibus tuendis, glorioſo martyrio vitam hanc finierunt, iacent ſquallidæ, mutata facie, ſordidæ, & innumerabilibus calamitatibus affectæ, impiè ab infidelibus tractantur. Conſtantinopolis, noua Roma, nobiliſsima Eccleſia, quam ſanctiſsimis Patriarchis dignam iudicaſti (infæ-

lix & miſerum ſeculum, deplorandam Orbis terræ calamitatem) deturpata eſt. domus tua facta eſt locus abominationis. templum vnigenito filio tuo, qui eſt vera ſapientia, dicatum, factum eſt Sathanæ, & miniſtrorum eius, Maumethi ſuperſtitionem ſectantium, habitatio. Alexandria, Rhodus, Corinthus, Cyprus etiam, & quam plurimæ aliæ quondam ſanctorum Epiſcoporum ſedes, mutatæ, deformatæ, deiectæ, conculcatæ, ſqualllidæ, voces tacitæ, ſuſpiria, et gemitus emittunt. Da Pater, bonorum conſiliorum Princeps, cæli et terræ Gubernator, in cuius poteſtate ſunt corda Regum & Principum, da populo tuo, grauiſsimo & periculoſiſsimo morbo confecto, ſalutarem medicinam. doce virtutem maxime neceſſariam, ſtultè nimium contemptam & eiectam concordiam: huius hortatores ſint Epiſcopi tui, ſerui tui, maxime omnium Pater, & Princeps, Romanus Pontifex. Hanc uero formam, quam ego ſeruorum tuorum minimus delineaui, tu expreſsiſti. Domine, adiuua, ut eam exprimamus exemplo, & verbis. innoua in ſancta Eccleſia tua illam, quam docuit filius tuus, regendarum animarum viam: imitato-

tutores Apoſtolorum in Epiſcopali ordine multi ſint, qui placent iram tuam, Domine, lachrimis ſuis, ieiunijs ſuis, precibus ſuis. Te enim prouocauit, & quotidie prouocat populus Chriſtianus nouis & grauiſſimis peccatis. prouocamus etiam te aliqui noſtri ordinis; ego maxime omnium, negligentijs & peccatis meis. Si petierimus, certò ſcio, accipiemus, niſi hæſitauerimus; hoc eſt, ſi conſcientia peccatorum noſtrorum nos non deterrebit, ſperabimus & conſequemur quicquid poſtulabimus. Exaudiſti Domine Moyſem orantem pro populo tuo. Exaudiſti Domine Dauidem, & alios ſanctos Patres. exaudies etiam nos, ſi digni erimus, quos exaudias. Hæc eſt communis calamitatis ſpes, hoc deſperato ſæculi morbo ſolatium, hoc in terris piorum hominum afflictionibus refrigerium; quòd renouari paſtoralis illa regendarum animarum diſciplina cernitur; quòd excitata iam ſunt, & indies excitantur magis regendarum animarum ſemina; quòd ſperantur etiam quotidie maiores fructus pietatis, & religionis in multis. Eos autem ipſe imiter; in animo meo imprimatur hæc, quam deſcripſi, forma, ut mihi, quando alijs

non

non poſſum, hac mea lucubratiuncula ſaltem profecerim. Sine fructu certe hunc laborem ſumere non potui, cum mihi videam voluntati illius, quem magnum Dei ſeruum exiſtimo, quemue vnice diligo, ac vehementer obſeruo eſſe obſecutus.

LAVS DEO.

ISIDORI PELVSIOTAE
EPISTOLA
AD PALLADIVM.

P. GALESINIO PROTONOTARIO APOSTOLICO, INTERPRETE.

QVI ſententiam Apoſtoli non intelligunt, neque eius ſummam animaduertunt ſapientiam, cum nullum ex eo periculum oriri putent, ſi diuinas leges, quę ad reipublicę rationem minus pertinent, male interpretantur; ij profecto in temeritatis, & dementię vitium incidiſſe videntur. quid enim illud ſane eſt, quod ij, qui honores ſitiunt, litteris proditum eſſe affirmant? SI QVIS EPISCOPATVM DESIDERAT, BONVM OPVS DESIDERAT. Hoc ipſum ſane ſcriptum eſſe, haud equidem negarim: ſed in eam ſententiam accipi oportere, vt iſti volunt, nunquam certe dixerim. præſertim cum verborum, quę illam ipſam Apoſtoli ſententiam conſequuntur, ratio eam honorum cupiditatem, qua plerique omnes tenentur, maxi-

me coerceat. non enim ſummum illum Epi-ſcopatus honorem, qui regiæ dignitati præſtat, omnibus expetere licet. nam qui in eo gradu collocati ſunt, res tum diuinas, tum humanas gubernant et moderantur. ſed, vt paucis rem totam complectar, ſi viri boni et iuſti illi qui-dem ſunt, tanto ijs, quibus præſunt, præſta-biliores ſunt, quanto ſane paſtores ouibus. Ecquæ tandem verba illa ſunt, quæ ſequuntur?
» Oportet enim Epiſcopum irreprenſibilem eſſe,
» prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem,
» doctorem, patientem, non vinolentum, non
» percuſſorem, ſed modeſtum, non auarum, do-
» mui ſuæ bene præpoſitum: ſi quis autem domui
» ſuæ praeeſſe nequit, quo modo Eccleſiæ Dei di-
» ligentiam habebit? non neophytum, ne in ſu-
» perbiam elatus, in iudicium incidat diaboli:
» oportet, & autem illum teſtimonium habere
» bonum ab ijs, qui foris ſunt, vt ne in oppro-
» brium incidat, & laqueum diaboli. *Ecquod harum virtutum officium eiuſmodi eſt, in quo cum laude ſane quidem, & recte complures, in quibus ipſe fortaſſe es, verſati vitam agunt, quæ reprendi nullo modo poſſit? certe illa ſobrio-rum hominum virtus ita in ijs ineſt, vt vigi-*

lanti

lanti acriq. ſint mentis & animi ſenſu; tantaq. temperantiæ virtus in ijs ipſis elucet, vt non integros modo ſenſus ipſi habeant, verum etiam petulantes modeſtos reddant; eosq. plane coerceant, qui ad res inhoneſtas ac turpes impetu et furore quodam præcipites feruntur. Ornatus uero et decori ratio eiuſmodi in ijſdem apparet, vt et inceſſu, & aſpectu, & ſermone maximam illis, qui ipſos intuentur, admirationem ſui excitare poſſint. nam qui Epiſcopatum adeptus eſt, omnium ſane virtutum ſpeciem, & quaſi imaginem quandam is omni & tempore, & loco præ ſe ferat neceſſe eſt. Hoſpitales præterea ita ſunt, vt egentes homines, & illos quidem, quos minime norunt, domum ſuam recipiant, eiſdemq. cibum ſuppeditent. Docendi autem munus & officium tam accurate, atque adeo diligenter exequuntur, vt cum rerum diuinarum vis & copia illis non deſit; tum certe ſpiritalium rerum fontes ex eorundem lingua manant. Ad probitatis vero laudem ita inſignes, vt neminem contumelioſe vnquam læſerint; ab auaritiæ labe tam longe abſunt, vt quæ ſibi iure legeq. compararunt, bona pauperibus tri-

buant; mala atque iniurias adeo leniter patiuntur, vt alios æquo animo ferant, qui temere ipſos iniurioſe tractant. Hæ quidem atque aliæ complures in illis virtutes ſunt, quas in optimo paſtore deſcribendo Paulus Apoſtolus expreſſit. quid igitur eſt, quod ad inſaniam tam inſignem eos impellat? illud enim ipſis ſatis eſſe debet, ſi eorum, qui alijs parent, ordine cenſentur. nam ea, quæ ipſi agunt, prætereo; cum ob ea ipſa, ſi ita, vt oportet, res fieret, eo dignitatis gradu iure mulctarentur. res enim expetunt, quas aſſequi eis non licet; illamq. Epiſcopatus cupiditatem in ſe alunt, & Apoſtoli, qui peſtifero eorum morbo mederi ſtudet, teſtimonium afferunt. itaque ego cum ſtatuiſſem in illos oratione inuehi, & rem omnem ſtrictim attingere, oſtendereq. in primis, non optimo iure in Chriſtianis hominibus eos haberi, qui ſacras litteras ita calide malitioſeq. interpretantur; quaſi tamen equum, in campo exultantem, freno ſuſtinuiſſem, non paſſus equidem ſum, me in eam tam magnam difficultatem incurrere; maluiq. ad Apoſtoli ſententiæ explicationem redire. Quid ergo diuinus ille vir, qui multa animo proſpexit, ſummamq.

eam

eam dignitatẽ recte plane adminiſtrauit, ſcriptũ reliquit? Si quis Epiſcopatũ deſiderat, bonũ opus deſiderat. neq; dixit: Omnis homo Epiſcopatum deſideret. non id præcepit, non iuſsit, non lege denique ſtatuit. ſed illud ab eo propterea dictum eſt, quoniam complures nouerat honorum admodum cupidos, et eos quidẽ nulla virtute præditos, Epiſcopatum appetere: neque hos ſummæ illius dignitatis pericula, labores, curas et vigilias conſiderare. nam quæcumque officia vſui, & adiumento ijs eſſe poſſunt, qui alijs parent ea omnia ad illam dignitatem ſpectant. ecquæ tandem eiuſmodi ſunt officia? eorum ſcilicet, qui Sacerdotes fiunt, mores & vitam inquirere; eſurientibus cibum, potum ſitientibus, nudisq. hominibus veſtem præbere; eos defendere, qui iniurioſius tractantur; lugentium pupillorum curam ſuſcipere; viduis auxilium ferre; illorum, qui violantur, iniurias perſequi; eos reprehendere, qui iniuſte imperare volunt; iracundiæ eorum, qui offenduntur, ardorem reſtinguere; conſolari illos, qui in miſerijs verſantur; quiue praue agunt, eos denique moderari. Hæc omnia, & longe quidem plura, quæ, ne omnibus recenſendis longius

progrederetur oratio, ego prætermiſi, cum in Epiſcopatus dignitate contineantur: nonulli ſunt tamen, qui cum ſummum eum honorem nihil aliud eſſe putarint, niſi ſummum otium, atque animi oblectationem. certe iſti cum neque vires ſuas expendant; neque dignitatis illius animaduertant amplitudinem, cupide admodum prouinciam tam difficilem ſuſcipiunt, horumq. periculoſam cupiditatem S. Paulus vt cohiberet, doceretq. in primis eos negocium eiuſmodi, quod pleriſque difficile eſſet, aggredi non oportere; illis verbis vſus eſt: Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Nec vero dixit, Omnis homo eum deſideret, quoniam recte agit. non enim Epiſcopatus cupiditatem, ſed honeſtum illius munus atque opus laudare voluit. opus autem rem difficilem, quæue fieri vix vllo modo poſſit, appellant non ſolum eruditi viri, verum etiam in hanc ipſam ſignificationem ſacris litteris ita ſcriptum eſt: Virum fidelem inuenire opus eſt. Opus, Vir optime, negocium eſt, non otium, animi ſollicitudo, non delectatio, munus publicum cuius ratio redditur, non magiſtratus, in quem inquiri nō licet, paterna quædam cura et

guber-

gubernatio, non tyranni imperium principatus, qui prudentia; non poteſtas, quæ temere nulloq. conſilio regatur. Ego ſane vero Epiſcopatus officium atque opus eximie laudo, quoniam diuinum eſt. eum autem qui illius aſſequendi cupiditate ardet, non plane laudo; neque illum bene agere cenſeo, quia non intimis animi ſenſibus ali, ſed omnino eijci eiuſmodi cupiditas debet. Intuere quæſo Paulum, qui in ea muneris exercitatione valde verſatus, multosq. labores perpeſſus, vulnera et plagas accepit, inſidijsq. circumuentus, et cruciatibus multis eſt affectus; vt, quantum in ſe poſitum erat, ex ijs, qui fidei ſuæ concrediti eſſent, ne vllus quidem periret. Vide igitur, quemadmodum is illos, qui alijs præeſſe cupiunt, tamquam illiuſmodi laborum expertes, honoremq. ſolum ſpectantes, perterrefaciat, quaſiq. caput mouendo clamitet: Si quis Epiſcopatum deſiderat: ſecum cogitet, ad quot, & quam magnos labores vocetur; deinde videat diligenter, an eos ſuſtinere recte ipſe poßit; tum pericula animaduertat, quoniam aduerſarij et aperte, & occulte eum oppugnant. Neque mente ſolum reputet, quanta ſit illa dignitas,

verum

verum etiam quot ſe mortis periculis obijciat; nec delectationem contempletur, neque in otio ſe fore putet: ſed diſpiciat, quæ inſidiæ, quæ curæ, et ſollicitudines ſibi parentur. ſciantq. omnino ſi quis in illo dignitatis gradu ſit collocatus, eum ideo Epiſcopum creatum eſſe, ut legitime ipſe certet, non ut otioſus voluptatem capiat. qui enim ſolum honorem adeptus eſt; ceteraq. omnia, quæ ad Epiſcopum pertinent, officia neglexit; ex ea quidem re in maximam reprehenſionem incidet. cum vero eam dignitatem morte amittet, tum in iudicium illud formidoloſum, cui integerrimus iudex præerit, vocabitur; atque ita libere vociferabunt eſurientes: nos ne cibum quidem neceſſarium habuimus, quo veſceremur; iſte vero omnibus rebus circumfluens, in voluptatibus ſe ſe oblectauit, et reliqua ad honorum ſtudium contulit. nudi vero dicent; duro anni tempore hic ſe durum ac difficilem nobis præbuit: ægri clamabunt quam, inhumanus ac pene fereus nobis, morbo laborantibus, hic fuit. & pupilli quidem ita; nos nullum ſane adiumentum ex iſtius patrocinio habuimus: viduæ vero; conſolationem nobis nullam hic præbuit:

buit : in vincula coniecti; miſericordiam hic nobis impartitus non eſt: miſeri & calamitoſi; auxilium hic nullum nobis tulit. Atque ſi omnes quidem, vt breuiter dicam quorum ille Epiſcopus fuit, ipſum accuſabunt; quid æquiſſimum illum iudicem facturum cenſes? an non is in iſtum, qui honoris gradu melior factus non eſt, grauius ſtatuet? id certe cuique perſpicuum eſt. ſin autem quis non credit, aut ea negare ſtatuit; tum eum diuidet, ut Euangelij verbis vtar partemq. eius cum infidelibus ponet. Hæc igitur cum nos plane cognoſcamus; nihil eſt, cur negligamus, ac pro nihilo ea putemus, quæ diuina ſunt. ſi enim ad illud nos vix idonei fuimus, vt rerum noſtrarum rationem redderemus, quo modo in iudicium veniemus, cum tam multi homines culpa noſtra damnabuntur?

FINIS.